7
2–1
19
M 2.77

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
10 G
68

Bibliotheca
i Coll. Rom.
ciet. Jesu

7–2.I.19.

NICOLAI VERNVLÆI
DE
PROPAGATIONE
FIDEI CHRISTIANÆ
IN BELGIO

Per Sanctos ex Hibernia Viros

LIBER.

Bibliot. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu



LOVANII,

Apud IACOBVM ZEGERS.

Cum Priuilegio

ANNO CIↃ. IↃC. XXXIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ILLVST. ET REVERENDISSIMO

DOMINO

D. IACOBO BOONEN

ARCHIEPISC. MECHLINIENSI

BELGARVM PRIMATI.

REVERENDISSIMIS DOMINIS

BELGICARVM PROVINCIARVM

EPISCOPIS.

ADMODVM REVERENDIS DOMINIS

PRÆLATIS, PRÆPOSITIS, DECANIS, ET VNIVERSO

BELGICÆ ECCLESIÆ CLERO.

L. M. D.

NICOLAVS VERNVLÆVS.

ILLVSTRISSIME,
REVERENDISSIMI,
ADMODVM REVERENDI,
ET VENERABILES
DOMINI

QVi olim in his Belgij Prouincijs Sanctiſſimi ex Hibernia Viri Chriſtianam Religionem propagarunt, ij nunc ſeſe vobis ſiſtunt vniuerſi. Non exprobrare merita ſua volunt, ſed Gentis ſuæ memoriam apud vos excitare. Vt nimirum Beneuoli in eos ſitis, à quibus illos, quos tanto affectu Patronos colitis, accepiſtis. Glorioſum illis ſane fuit in hoc ampliſſimo Belgij theatro laborauiſſe, ex quo ad immortalem gloriam euolarunt. Imò etiam Belgas præcipuo ſemper amore complexi ſunt; nec vllibi libentius, quam apud eos, operam ſuam impenderunt. Adeò vix ipſi in Hibernia ſua Euangelicæ Veritatis lucem receperant, quin eandem in Belgium refuderunt. Zelus iſte

arden-

Digitized by Google

ardentiſſimus fuit, quem in Deum Pietas, in exteros charitas excitabat; nec adhuc in poſteris eſt extinctus. Nam quemadmodum hoc tempore varias in oras diſperſi ſunt hi, ita diuerſis in Prouincijs toti in aliorum ſalutem & inſtructionem incumbunt, aut certè quâ poſſunt ratione iuuant. Imitantur ſanctos illos ſuos de Belgis tam bene meritos. Et quoniam quam aliquando in exteras Regiones Religionem inuexerunt, hodie vix Hibernia retinet, id agunt, vt Apoſtolicos in eam viros immittant. Sed formandi illi ſunt, & quidem in hoc Belgio noſtro, nec tamen ſine veſtra ope auxilioque. Iuuate, Belgici Præſules, & manum porrigite. Hoc erit in Benefactorum poſteris beneficium acceptum compenſare, & gratitudine hos obligare. Videbunt munificentiam iſtam veſtri illi Patroni, & ſe pro poſteris quoque ſuis laborauiſſe gaudebunt. Ego verò, ne affectu deſim, quos hoc opuſculo deſcripſi,

eoſdem nunc vobis ſiſto, vt affectum provocem. Poteram integras eorum vitas dare, meritis eorum in Belgium contentus fui. Hæc quippe amorem & gratitudinem exigunt, Vos præſtare parati eſtis. Nec alia eſt Belgarum Indoles. Quicquid interim eſt, id Vobis dedico, & Belgicæ Eccleſiæ, quam inter tot debacchantis Hæreſis tempeſtates regitis, felicem curſum voueo. Louanij XII. *Calendas Auguſti, Anno partæ ſalutis* CIↃ. IↃC. XXXIX.

SANCTI EX HIBERNIA VIRI,

Qui fidem Chriſtianam in Belgio propagarunt.

S. Abel.
S. Acca.
S. Adalgiſus.
S. Adelbertus.
S. Bertuinus.
S. Columbanus.
S. Eloquius.
S. Ecco.
S. Fredegandus.
S Foillanus.
S. Furſæus.
S. Forannanus.
S. Gerebernus.
S. Guthagonus.
S. Himelinus.
S. Ieron.

S. Kilianus.
S. Leuinus.
S. Luglius.
S. Luglianus.
S. Marcellinus.
S. Mombolus.
S. Mono.
S. Obodius.
S. Othgerus.
S. Plechelmus.
S. Rumoldus.
S: Switbertus.
S. VVendelinus
S. VViro.
S. VVillibrord.
S. VVerenfridus
S. VVigbertus.

S.VVil-

S. VVilleicus.
S. Vltanus.
S. Vulganius.
S. Vuaſnulphus

S. Vincentius.
Eius Filij,
Landricus,
Dentelmus.

Sanctæ ex Hibernia Fœminæ.

S. Dympna.
S. Oda.
S. Cunera.

His adiectæ.

S. VValdetrudis.
S. Aldetrudis.
S. Madelberta.

P. 10. v. 24. rogat.
P. 14. v. 2. inceſto.

Digitized by Google

DE PROPAGATIONE FIDEI CHRISTIANÆ IN BELGIO Per Sanctos ex Hibernia Viros.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPVT I.

Occaſio ſcriptionis huius & ſcopus.

MERITORVM omnium beneficiorumque maximum, certiſſimam ſalutis adipiſcendæ normam tradidiſſe, mortalium confeſsio eſt. Hoc enim eſt pro ſuperſtitione Religionem, pro mendacio veritatem, pro errore fidem, pro tenebris lucem, quæ à ſola Chriſtiana doctrina eſt, attuliſſe. Quod quidem beneficij genus cùm omnem obligationem ſecum trahat, tum nullam, quæ exſolui poſſit, relinquit. Par enim partæ ſaluti nihil eſt. Adeò qui ad cœlum iter commonſtravit, omnem humanæ gratitudinis modum exceſſit; & dediſſe felicitatem vltimam videtur, qui eius obtinendæ viam oſtendit. Enimverò extra du- *Occaſio ſcriptionis.*

bium eſt, viros virtute doctrinaque cla-
riſſimos ex Hibernia in hoc Belgium
noſtrum nouam Religionis Chriſtianæ
lucem inuexiſſe, ab Idolorum cultu diſ-
cuſsâ Gẽtilis ſuperſtitionis nube ad Chri-
ſtum indigenas conuertiſſe, atq; Euange-
licam paſſim doctrinam propagaſſe. Erga
quos vt grati Belgæ ſimus, libet acce-
ptum ab ijs beneficium agnoſcere, & ob-
ligationem profiteri. Agnoſcemus, ſi re-
cenſeamus; obligatos nos fatebimur, ſi
deprædicemus. Siquidem apud cœleſte
Numen, & diuinos Heroes nullum aliud
remunerandi genus eſt, quàm ipſa bene-
ficiorum agnitio confeſſioque. Hanc ob
cauſam propoſitum nobis eſt compendio
ea referre, quæ in his Belgij prouincijs
ſanctiſſimi ex Hibernia viri, Catholicam
Religionem ſtabiliendo, præſtiterunt.
Non equidem diffitemur, illuxiſſe iam
antè Belgis veræ fidei lumen, & ab ipſis
propemodum Apoſtolorum temporibus;
ſed inuenerunt adhuc Hiberni, quod ex-
colerent, & in quo labor eorum deſu-
daret. Exorto Sole multi aut vix, aut
nondum lucem videbant; & depellendæ
multorum errorum tenebræ reſtabant,
vitiaque animis ex falſorum Deorum
cultu innata paulatim exſtirpanda. Scho-
læ aliquæ, ſed paucæ, virtutum erant, &
exem-

exemplis opus eſſe videbatur, vt, cùm noua doctrina Chriſtianos multos effeciſſet, Sanctorum virorum exempla conſpicuis virtutum operibus eos ad Chriſtianæ vitæ perfectionem adducerent. Verbo dicam, imbuendi hominum animi altiùs erant, & inſerenda profundiùs virtutum ſemina. Neque defuerunt Martyrij eo tempore occaſiones, dùm in nouos Chriſti Athletas naſcentis in Belgio Religionis hoſtes inſurgerent. Vnde factum eſt, ut quædam hîc provinciæ Hibernorum ſanguinem exceperint, quo illi, quam prius ſeminauerant doctrinam, irrigauerunt. Hos adhuc hodie Martyres ſuos Belgium colit, templis & aris honorat, patronos agnoſcit. Atque idcircò Gentem Hibernorum, cùm apud nos, tum alibi hoc tempore exulem, cõplecti omni beneuolentiâ iuuareque par eſt. Nimirum ne illa apud nos inopiam patiatur, quos opibus cœleſtibus ditauit. Nam ſi cœlo naſci amplius eſt, quàm in communem hanc lucem prodire, plus illis debemus, per quos ſalutis æternæ viam accepimus, quàm ijs, à quibus vt tantùm viueremus, habemus. Hic Scopus ſcriptionis huius; nunc ad illam imus. *Scopus.*

CAPVT II.

De propagatione fidei Chriſtianæ in ditione Mechlinienſi & Brabantia, per Sanctos Rumoldum, Fredegandum, Himelinum. Item de S. Dympna, & Gereberno.

SIt mihi operis initium Mechlinia, Brabantiaque. At verò, quem priùs *S. Rumoldus. 1. Iulij* in hoc theatrum, quam ſanctiſſimum Rumoldum, producam? Is apud Hibernos ex regia Gentis illius ſtirpe natus, & Dublinienſis Archiepiſcopatus infulâ ſublimis, poterat eo in faſtigio fulgere, ſed alienæ ſalutis amor & propagandi Chriſti imperij cupiditas acrius eius animum exſtimulabant. Quippe ſeruire hominum Redemptori Chriſto in tam honorificâ expeditione, quàm alijs præeſſe & obſequijs coli, malebat. Itaque *Ex officio Mechlinienſi.* primæ nobilitatis regiæque familiæ contemptu clarus, commiſſo alteri Archiepiſcopatu, patriaque derelictâ, ad principem mundi vrbem Romam contendit. Hîc Apoſtolorum Petri & Pauli, ut Apoſtolicum ſpiritum hauriret, aſſiduò monu-

monumenta inuiſit; Martyrum ſepulcra, vt ad mortem pro Chriſto ſubeundam animaretur, crebrò frequentauit. Nec eum vota feſellerunt. Diuinitus per Angelum, ut in Galliam Belgicam ſe cedat, admonetur. Quare acceptâ ſummi Sacrorum Principis fauſtâ apprecatione in Belgium & Mechliniam ſe confert. Erat tum ibidem ſummæ inter Nobiles authoritatis Ado Comes, cui vxor illuſtris ſanguinis & virtutis Eliza. Ab his benignè excipitur; ſed huic cùm infœcunditas grauis eſſet, Rumoldi precibus fit fœcunda, concipit, & marito filium ſenex parit. Nihil accidere lætius potuiſſet; ſed auxit lætitiam viri ſancti præſentia, qui natum infantem ſacris Chriſtiano ritu aquis luſtrauit, & *Libertum* appellauit. Hoc modo pueri parens videri poterat; ſed & glorioſius fuit, qui illum, vt multi ſunt infantium caſus, in aquas fortè delapſum ſubmerſumque ad vitam reuocauit, & parentibus reſtituit. Imò etiam Chriſtianis moribus ac inſtitutis ita eum formauit, vt, creſcente cum annis virtute, Clericis in Vlmeto tum ſub religioſâ diſciplinâ viuentibus præfici meruerit. Eorum enim operâ ſanctiſſimus Præſul ad proferēdos fidei terminos, hominesque Chriſto aggregandos vtebatur.

Ex Molano. 1. Iulij. *Ex Surio ibid. Miræo & alijs.*

Quæ res tam felicem ſucceſſum habuit, vt Mechlinia ſe totam per eum Chriſtianam mirata fuerit, & ipſe Mechlinienſium iure Apoſtolus ſit dictus. Verùm excurrit latiùs longiuſque eius ardor pietatis. Nam vicinos ad Scaldim populos, qui in Brabantiæ finibus cenſentur, Chriſtianæ religioni adiunxit. Nihil erat illo laborioſius, nihil indefeſſum magis. Aderat omnibus, inſtruebat, vrgebat, & cœlo digitum intendens ad æternæ felicitatis præmium mirâ benignitate ſolertiaque excitabat. Vitiorum turpitudinem oſtendebat reprehendebatque, ut ſaltem ſe homines meminiſſent, qui rei erant; nec de veniâ deſperarent, qui gratiæ fontem in Orthodoxâ religione inuenirent. Iuiſſet vlteriùs eius labor, (nam expleri partis tot cœlo mortalibus non poterat) & iam ſanctitatis ipſius fama, creſcente paulatim Eccleſiâ, homines vltrò ad Chriſtum pelliciebat, ſed tantum Brabantiæ bonum dæmon inuidit. Siquidem cùm in dies propagandæ magis ac magis religioni inſiſteret, duos dæmon ſicarios, qui eius vitæ inſidiarentur, excitauit. Vtrumque auri cupido, alterum etiam pudor, quod à Præſule de adulterio reprehenderetur, impellebat. Nacti igitur occaſionem & tempus, cùm ſolum inclinato

nato iam die reperiſſent, letiferum capiti vulnus infligunt, proſternunt, interimunt; ſicque dum è viuis eximunt, Martyrum ordini adſcribunt. Decurrebat tum annus ſupra ſeptingenteſimum ſeptuageſimus quintus. Latêre autem diu crimina non poſſunt; vt hoc tamen nefas lateret, Præſulis ſanctiſſimi corpus ſceleratiſſimi ſicarij in profluentem proiecerant. Verùm cùm illud divinum deſuper irradians lumen detegeret oſtenderetque, pijſſimus Ado Comes aquis extractum in Æde Diui Stephani honorificentiſſimè condidit, ſuiſque illi lachrymis & affluentium populorum lamentatione parentauit. At Mechlinia plus ſe Apoſtolo ſuo debere poſtea exiſtimauit. Sacrum enim cadauer in Eccleſiam, quæ nunc Metropolitana eſt, tranſtulit, & ut ſuam pietatem affectumque teſtaretur, non ita pridem pretioſiſſimam illi ex argento thecam, cui parem in Belgio vix quiſquam reperiat, adornauit. Macte illo Patrono tuo & Diuo tutelari Mechlinia: habebis in illo diuini fauoris pignus, quamdiu pia eris; ſed & faue Hibernis, à quibus tantum tuæ fidei depoſitum poſſides. Opem poſcunt pro fide; affectum pro luce. Et tu Brabantia erga eos ſis benigna, à quibus, ut Chriſtiana magna

ex parte eſſes, cœlo aſpirante conſecuta es.

S. Fredegand. 17. Iulij

Ex Molano 17. Iulij Roſweedo, Mirreo, alijſque & ex offic. Eccleſ. Namurcenſis.

Rumoldo *Fredegandus* ſuccedat. Is ex Hibernia, ex qua oriundus, in Galliam cum Beato Foillano, alijſque viris Apoſtolicis veniens, propagatâ varijs in locis multo labore Chriſtianâ religione, apud Antuerpiam in Brabantia demùm conſedit. Hîc illi vltimus laborum campus, hîc doctrinæ & virtutis exercendæ arena. Nec illi ſedulitas defuit par ardori. Quam diu vixit, tam diu in omnium ſalutem vigilauit; nec ſine fructu. Plurimos Antuerpiæ viciniſque locis Chriſto peperit, & erat virtutum operibus velut ardens lucerna, quæ eccæcatos hominum animos ſalutaris doctrinæ lumine illuſtrabat, & veræ pietatis igne, quo flagrabat, ad virtutem Chriſtianam inflammabat. Fatis tandem conceſſit vir ſanctitate eximius, meritis clariſſimus, inter Diuos locum adeptus. Conditum eius corpus in oppido *Doorne*, non longo ab Antuerpia intervallo, quod eâ tempeſtate muris cinctum aliquibus erat, nullis adhuc Antuerpia. Verùm non diu ibi quieuit. Quippe in Eccleſiam Sancti Petri Monaſterienſis, quæ Collegiata eſt, non procul à Namurco, inde tranſlatum poſtea fuit, aut certè ſacrarum corporis eius reli-

reliquiarum pars maxima. Nam vna,nec exigua, in Sacello Diuæ Vrſulæ, quod intra Cathedralem Deiparæ Virginis Ædem Antuerpiæ eſt, hodie colitur. Transferendi corporis hæc occaſio & cauſa. Irruerant in Brabantiam Nortmanni, latè omnia populantes, & per Schindam fluuium ad oppidum Turninum appulerant, ubi Sancti Fredegandi Monaſterium tunc erat. Cœleſte Numen, cui exoſa incolarum iniquitas fuit, nolens imminentem calamitatem auertere, ut iniuſti impijque punirentur, ſacrum depoſitum transferri aliò iuſſit. Quo ſublato, quaſi iam muri turreſque funditus concidiſſent, Barbari vno impetu oppido potiuntur, ciues partim ferro contrucidant, partim in vincula conijciunt; ædes omnes, atque adeò totum oppidum, ipſumque Monaſterium incendio conſumunt. Tanti fuit Fredegandum non adeſſe, quem ciuium iſtorum iniquitas viſa eſt expuliſſe. Vt nimirum diſcat poſteritas, Diuorum corpora ſeu lipſana pro mœnibus ac turribus adverſus hoſtes eſſe. Sed auerſantur Diui, etiam poſt fata, hominum ſcelera; nec eorum ibi ſedem patitur Deus, ubi iniquitas excuſſo fræno inſoleſcit. Faue Antuerpia, & quas Sancti Fredegandi reliquias habes, foue pia

Ex S. Gummari translatione.

& cole. Securitatis tuæ pignus erunt.

S. Himelinus 10 Martij. Multum quoque Sancto *Himelino* Brabantia debet. Fuit natione Hibernus, Diuo Rumoldo vt ſanguine propinquus, ita virtutum ornamentis penè par. Et his quidem omnium amorem, doctrinâ verò ſingulorum admirationem excitauit. Vnde factum eſt, vt plurimos Chriſto aggregarit, qui eius in docendo ſuauitate trahebantur, virtutum exemplis permouebantur. Apoſtolicum verè munus hic impleuit. Cùm autem quodam tempore Româ rediret, vbi ſacra Apoſtolorum Petri & Pauli lipſana viſitarât, prope Fienacum in Brabantia (Belgæ *VViſſenaken* dicunt) ab itinere feſſus & gravi ſiti æſtuans, reparandarum aliquâ quiete virium causâ, conſedit. Graſſabatur eo in loco vehemens tum peſtis, cùm interim Parochi ancilla ex vicino fonte aquam hauſtura illac pertranſit. Quam ubi mox redeuntem vir ſanctus animaduertit, ut ſitim ſedare liceret, obnixè rogat. Illa abnuere, hic preces vrgere, & diu fruſtrà. Quippe vetuerat Parochus, contagium fortè timens, ne cui ex eo poculo propinaret. Sed tandem flexerunt puellæ animum Himelini preces, atque idcircò potiſſimùm, quod adieciſſet, tantillum beneficium hero eius ma-

Referũt Roſwedus, Molanus, Miræus M. S. Rubeæ vallis, aliįque.

magnam vtilitatem allaturum. Aquam igitur impetrat, & ſitim extinguit; illa deinde domum pergit, hic iter inchoatum reſumit. Quis non obſtupeſcat? Vbi Parochus reuerſâ ancillâ allatam ex fonte aquam guſtat, attonito ſimilis hæret, & conuerſam in vinum aquam non ſine miraculo agnoſcit. Quid rei in via contigiſſet, ancillam ſciſcitatur, eaque ex vero intellectâ properè virum ſanctum ſequitur & aſſequitur, domum reducit, hoſpitio excipit. Eâ nocte Himelinus in horreo, vbi pro lecto ſtramen, decubuit. Poſtridie morbo corripitur nec diu afflictus, tertio pòſt die Sacramentis Eccleſiæ muniri poſtulat, & ſanctiſſimam vitam finiendo animam Conditori ſuo reddit. Morienti nemo aderat; ſed ſine gloria mors non fuit, quam Deus miraculo manifeſtauit. Diuinitus enim nemine impellente vehemens campani æris ſonus toto municipio ac vicinis locis auditur. Quem vbi Parochus percepit, illicò ad ægrum hoſpitē ſuum multo cum populo, quem intēpeſtiuus ſonus excitauerat, conuolat. Hærent in horrei limine omnes, corpus miro ſplendore corruſcans intuentur, & fragranti ſuauique odore perfunduntur; mortuum, an viuum videant, anxij dubitant. Sed exceſſerat iam è vita.
Mox

Mox de ſepulcro inter ſe conſultant, ſed conſultationem miraculum abrupit. Nam dum in Templum properant, terram egeſtam & deſtinatum diuinitus ſepulturæ locum inveniunt. In eo ſacrum corpus recondunt, & quem pietas ſuggerebat, honorem læti attonitiq; impendunt. Claruit locus ille multis poſtea miraculis atque idcircò Fienacum, quod olim Sancti Martini, deinceps Sancti Himelini dictum eſt. Habet in eo Brabantia, vnde glorietur, & obligatam ſe Hibernis fateatur.

S. Dympna 15. Maij. Poſt Apoſtolicos Brabantiæ viros, addamus etiam ornamenta, quorum maximum Sancta *Dympna* virginitatis & Martyrij palmam cœlo intulit, mortalibus veneranda. Cùm Hiberniæ Regis eſſet filia, vt patriam fugeret, & exilio aulam commutaret, inauditum fecit hactenus ſcelus. Viduatus coniuge Barbarus Rex, quia nulla ore & corpore venuſtior extiterat, cœpit filiam deperire. Quippe in ea matris forma, & cui comparari iſto æuo nulla poterat. Sed eos mores formoſitati Deus adiunxerat, ut præter Deum nihil ipſa amaret; nemini, niſi Deo nubere in animum induceret. Virginitatem, non venuſtatem, æſtimabat, & cadere in eius animum inceſti amores non poterāt.

Hunc

Hunc animum in virgine fouerat *Gerebernus*, vir doctrinæ & ſanctitatis eximiæ, qui eam recens natam ſacris aquis luſtrarat, & deinceps vnà cum matre Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſæpiùs corroborarat. Verùm cùm inſtaret demens pater, & filiæ nuptias expeteret, illa dierum quadraginta inducias poſtulauit, quo tempore vim verita ab inſano amatore, fugam vltra mare capeſſit. Comites ſecum traxit Gerebernum Sacerdotem, cuius conſilio potiſſimùm regebatur, deinde patris Pincernam, cum vxore. Appulerunt ſecundis ventis Antuerpiam, in cuius agro ſanctioribus curis ſe virgo aliquamdiu addixit. Inde Ghelam, exiguum tunc vicum, vt ſolitudine nemoribuſque, quæ latè circumquaque porrigebantur, tegerentur, ſeſe conferunt. Erat eo in loco Ædes Diuo Matrino ſacra, in qua Gerebernus rem diuinam ſacrificando operabatur, intererat virgo. Domicilium iuxta Ædem ſibi conſtruxerant, in quo trimeſtri ſpatio commorati ieiunijs, precibus, & cœleſtibus contemplationibus vacabant. Angelicam prorſus vitam, tamquam iam in cœlo, etſi adhuc in terris eſſent, ducebant. Nec lætior vnquam Dympna, quàm vbi regiam Aulam exiguo antro commutauit. At interea Rex, fugâ

Molan. 15. Maij.

Sur. in eius vita

Roſweydus.

Martyrologiū Rom. Angliæ Cartuſianiæ

fugâ filiæ vehementer turbatus, nihil de inceſto amore remittere, excandeſcere, furere. Paulò pòſt vela faciens eodem, quò primùm filia, Antuerpiam appellit, eaque non repertâ, legatos quaqua verſum & exploratores immittit. Quidam Weſterloam perueniunt, vbi cùm pro ſymbolo ſignatos Regis imagine nūmos offerrent, ſimiles habere ſe caupo reſpondet, ſed quorum pretium ignoraret. Rogatus vnde & à quo illi? Eſt Virgo, inquit, Hiberna in vicino nemore, quæ pro cibis hoc argentum perſolvit. Læti illi rem totam Regi confeſtim denuntiant, & ille lætior iter eò convertit, filiamque hoc modo proditam reperit. Vix oculos in eius vultum intenderat, ecce improbus amor flammam exſuſcitat, benignè aggreditur, ſuavique alloquio, ut in nuptias conſentiat, & patris voluntati acquieſcat, blandiſſimè obteſtatur. Nihil illa contrà, defixis tantùm obtutu in terram oculis ſilentio pudori ſuo conſulebat, cùm Gerebernus in Regem inuectus abominandum nefas exprobrat, Virginem deinde, ne vnquam conſentiat, adhortatur, egregius pudicitiæ tutor. Eo ſermone Regis furor efferbuit, cuius nutu multis exagitatum injurijs conuitijſque, mox tamquam fugæ autho-

authorem & regiæ virginis perverſorem ſatellites ferro obtruncant. Acriùs iterum Rex, vt filia conſentiret, inſtabat. Lenonijs verbis, minas & promiſſa miſcebat. At illa, vnicum ſe amatorem Chriſtum habere, huic nupſiſſe, pro dote virginitatem attuliſſe, quam violare nefas eſſet, nec offendere tantum ſponſum vellet. Naturam cum patre nuptias vetare: premeret impium amorem, quem Deus hominesque deteſtarentur; conſtantem ſibi in Chriſtum amorem, & pudicitiam impenetrabilem eſſe. Rex ilicò rabie incenſus & ſui impotens virgini caput demi imperat; ſed cum exequi tantum nefas nemo auderet, circumſpicerent omnes, & ferrum occultarent, ne poſtea fortaſſis Regem imperatæ cædis pœniteret, ipſe, paterni affectus & regiæ dignitatis oblitus, gladio, quo erat accinctus, ſacrum filiæ ſuæ caput protinus demetit. O nobiliſſima caſtitatis victima! Cœlum hoc vno ſpectaculo permouiſti, ut tibi funus curaret, nec veſpillonum officio fungi Angelos puderet. Duas è candido marmore vrnas illi ſacris cadaveribus ſubjecerunt. Nam cùm cruento in ſolo, vt à belluis deuorarentur, relicta eſſent, incolæ quodam in ſpecu condiderant. Tandem multo pòſt tempore, quod ſtupen-

ſtupenda quædam ſigna locum iſtum illuſtrarent, ſacer ordo cum populo mirabundus eò contendit, egeritur terra, & duabus in vrnis niue candidioribus ſacra corpora reperiuntur. Hoc opus Angelorum fuit, & meruerat purpurata ſanguine Diuorum caſtitas. Inſcripſerant gemmæ Virginis nomen Angeli, quo ſigno Dympnam vocatam fuiſſe poſteritas agnouit. Feſtus illi dies decima quinta Maij, quo die etiam Sanctus Gerebernus Ghelæ colitur, ſed eius cadauer Sontbecham, ditionis Cliuenſis oppidum, tranſlatum eſt, vbi glorioſus Martyr aduerſus chiragram & febres ijs, qui annulos ſacros geſtant, medelam confert. Dympna Virgo & Martyr continuis in hunc uſque diem miraculis clara eſt, magno Brabantiæ ornamento & omnium bono, ſed ab Hibernis eſt.

S. Gerebern. 15 Maij.

Miræus & Hiſtor. S. Dympnæ.

Poterant plures in hoc theatro oſtendi, quorum labore Brabantia Chriſto parta eſt, Sancti Willebrordus, Leuinus, alijque, ſed ſuis in Prouincijs eos producemus. Neque enim vna in regione ſuorum laborum metam fixerunt.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT III.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Flandria per Sanctos Leuinum, Guthagonum, Columbanum.

DEbet Flandria magnam ſalutis ſuæ partem Hibernis, & cui priùs, quàm Sanctiſſimo *Leuino?* Patria illi Hibernia fuit, quodque alijs vix extremâ ætate, aut demùm poſt fata contingit, puer miraculis claruit. Nec ad pietatem doctus, ſed factus videbatur. Ita naturâ & ſponte ſuâ ad virtutem ibat, & quod ſupra aliorum vires, ipſe duce Deo moliebatur perficiebatque. Vbi adoleuit, Benigno Sacerdote, & magno illo Auguſtino, quem primùm Angli Epiſcopum habuerunt, præceptoribus eſt vſus. Ab hoc etiam è luſtrali fonte ſuſceptus, ſacro Ordini Sacerdos inunctus, adſcriptus eſt. Paulò poſt Archiepiſcopus conſentientibus ſuffragijs electus, & Scotis datus. In eo munere quantum virtus, quantum doctrina poſſet, oſtendit. Verbo docuit, vitâ & exemplo præiuit; nec clarius vllum, quam ipſemet, miraculum fuit.

S. Leuinus 12. Nouembris.

Bonifacius Archiepiſc. Germaniæ Apoſtolus vitam ſcripſit.

Sed inuaſit eum Euangelij propagandi cupido tanto ardore, vt relicto protinus Archiepiſcopatu cum Foillano, Heliâ, Kiliano, ſanctiſſimis viris in Flandriam Gandavumq; prouolarit. Agebatur tum annus ſupra ſexcenteſimum trigeſimus tertius. Excepit eum Abbas ſanctimoniâ illuſtris Florbertus humaniſſimè, cui ſtudia ſua & obſequia eius Religioſi iunxerunt. Cùm autem in iſto Gandenſi Cœnobio vixdum à triennio Diuus Bauo è viuis exceſſiſſet, ac tum innumeris ſanctitas eius miraculis omnium admirationē cum pietate excitaret, triginta diebus ſupra eius monumentum diuinæ rei Leuinus operatus eſt. Hoc modo ad ſacram expeditionem animum diuinitus hauſit, cui ſe mox accingens varia Flandriæ loca peragrauit, & ſubinde in Brabantiam excurrit. Vtrobique ea vis doctrinæ eius fuit, vt non aliter, quàm Sol quidam omnium mentes illuſtraret, gentilitatis tenebras diſſiparet, errorum nubes diſſolueret. Vnde factum eſt, vt infinita propemodum multitudo eum ſecuta Chriſto nomen daret, gentiliqúe impietati renuntiaret. Nihil potentius erat eius eloquio; fulgurabat, fulminabat, & tamen ſuauiter pelliciebat. Qui eum videbant audiebantque, priſtinæ

vitæ

vitæ horrorem ilicò concipiebant, & ad virtutem rapiebantur. Tantùm poteſt docentis exemplum & ſanctitas. Sed & ſupra naturæ vires multa perpetrabat, quæ tantam doctrinæ eius fidem adiungebant, vt nullum hominum mentibus dubium inſideret. Concurſus ad illum quotidie plurimorum, & Chriſtianorum in dies numerus tanto ſub doctore creſcebat. At doctrina vera nũquam ſine adverſario, virtus numquã ſine hoſte. Idcircò impiorũ quędam turba tam diu illũ perſecuta eſt, donec viro ſancto linguã extractam canibus deuorandam abiecit. O impotens impietas! Linguam illi mox cœlũ reſtituit, vt hoc miraculo mutareris, & plures ipſe Chriſto pareret. Muta potiùs Diuorum ora loquentur, quàm eorum vim mortalium furor inhibeat. Redierat ad officium Leuinus, ſed non ad frugem nefandi iſti homines. Neque furorem ſuum cohibuerunt, donec venerandum Antiſtitem multis vulneribus ſauciatum tandem apud Eſcham obtruncarunt. Quamquam nec tunc iſtâ cęde ſatiati ferrum recondiderunt. Erat eo in loco religione & nobilitate clara matrona Craphaildis, cui filius Brictius, quem è baptiſmo Leuinus ſuſceperat. In illam inuolant ſceleratiſſimi homines, & cum

Ex officio Gandenſi, Molanus.

filio immaniſſimè trucidant. In Hauthem Aloſtenſis agri vico eodem in loculo Leuinus & Brictius conditi, iuxta eos Craphaildis. Ereмboldus deinde Abbas, cui Hauthemium parebat, Gandauum tranſtulit. Theodoricus Cameracenſis, & Walterus Tornacenſis Antiſtites ſuis temporibus honorem auxerunt, miraculis allecti. Felix hoc ſacro pignore Flandria, quod quia ad ſalutem ab Hibernis accepit, pro ſalute numquam opem & beneuolentiam negabit.

S. Guthagon. 3. Iulij.

Leuino *Guthagonum* ſubnecto. In Scotia, quæ nunc Hibernia, Rex erat; ſceptro manus, diademate caput ornabatur. Quis non miretur? Vt Chriſto nouos populos lucrifaceret, purpuram exuit, & è Rege Apoſtolicus vir diuiniqúe verbi præco eſt factus. Mouebat eius animum rerum humanarum inconſtantia, & quod cùm in ſummâ fortunâ eſſet, nihil expedire, imò omnia inania eſſe, animaduerteret. Rara in Principum virorum pectoribus hæc cogitatio, & alta paucorum ſapientia. Igitur in Flandriam contendit, atque ibi circa Knochemium & maris littora aliquamdiu ſubſtitit. Hunc ſibi campum ipſe delegerat, vt hominum occæcatorum errores expugnaret. Non longa illi vita, ſed nec ſine fructu. Quo

Molan. ad 3. Iulij, Item Miræus, & Meierus in Annal.

animo

animo Rex fuerat, eodem Regi Chriſto ſeruiebat. Elucebat inter docendum quędam in eo maieſtas, ſed quę humanitatem non excludebat; & cùm admirandæ eſſet ſubmiſſionis, infimis par eſſe volebat, ut eos ad Chriſtum adduceret. Animam vnam Deo lucrari, quàm ſibi prouinciam, malebat; & ideò ſeruire, quam regnare, potiùs optabat. Medios inter labores è vitâ exceſſit, cœlo, quò iam alios duxerat, potiturus. Sepulchrum ei Oſtkerca præbuit, ubi illi ſacer & ciuilis ordo promptâ pietate, nec ſine lachrymis, parentauit. Omnium deinceps pietatem miracula auxerunt, quæ crebra apud eius monumentum viſa, & faſſi ſunt, qui opem implorato eius nomine diuinitus ſenſerant. Miratur non immeritò poſteritas Gillonem, qui Guthagono aſſiduus comes, & in familiaritate præcipuus. Hic enim poſt ſanctiſſimi Regis obitum auelli ab eo vir ipſe ſanctus non poterat, & ſepulchro quaſi inhærebat. Tam arcto illi amore iungebatur. Adeò mutuus Sanctorum amor, qui in Deo nexum habet, morte non ſoluitur. Gillonis ſanctitatem miracula quoque teſtata ſunt. Vnum è multis dicam. Exaruerat mendico manus: hic cùm à Gillone ſtipem flagitaret, benè illi Gillo apprecatus eſt,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

 & ſub-

& ſubitò manum ſanam integram recepit. Hoc tantùm addo, Hibernia Rege etiam ſuo caruit, vt in Flandria Apoſtolum haberet.

S. Columban. 2. Februarij. Ex Chronico Gandenſis Monaſterij. Molan. 2. Februarij.

Prӕterire hic Sanctum Columbanum Hibernum Abbatem non licet. Deſudauit & ille in Flandria biennij ſpatio, & Apoſtolico functus munere Chriſtianam doctrinam paſſim propagauit, plurimoſque Chriſto peperit. Mors eius labores interrupit, ut apud Deum debito ſibi prӕmio gauderet. Morientem Gandauum Flandriӕ Metropolis excepit, & in cripta B. MARIÆ ſub arcu lapideo ante Diui Andreӕ altare condidit. Non hic magnus ille Columbanus Luxouienſis Abbas, recentiora eum tempora mundo oſtenderunt. Quippe circa annum partӕ ſalútis nongenteſimum quinquageſimum doctrinâ, ſanctitate, meritis clarus floruit.

CAPVT IV.

De propagatione fidei Chriſtianӕ in Arteſia per Sanctos Luiglium, Luglianum, Kilianum, Vulganium, Furſæum *&* Obodium.

Pro-

PRodeunt in Galliæ & Atteſiæ campos *Luiglius* & *Luglianus*, ambo viri Apoſtolici, Chriſti legati. Qui quantique viri? E regio ſanguine ſtemmateque fratres, ſed Luiglius Archiepiſcopatu, Luglianus regiâ apud Hibernos dignitate ſublimis. Ille ſacram infulam, hic regium ſceptrum diademaque, vt in exterorum ſalutem, Chriſtianæque fidei propagationem incumberent, reliquerunt. Tantus animarum lucrandarum ardor vtrumque exſtimulabat, & vel vnius hominis ſalutem regno anteponebant. Nihil glorioſius, quàm in ſacra eiuſmodi expeditione pro Chriſto laborare, iudicabant. Patriam igitur, Hiberniam ſuam deſeruerunt, & in Galliam contendentes Bononiam anno 700. appulerunt. Hîc eorum doctrina ſanctitaſque latè primùm excurrit, ac tamquam in publico theatro frequentibus ſeſe miraculis oſtendit. Fiebat ex omni parte hominum ad eos concurſus, & cùm diuino verbo ſignіſque percellerentur, Chriſto confeſtim aggregabantur. Latiùs diffundere ſe tanta vis ſanctitatis debebat. Teruanam concedunt, ibidemque & circumquaque ſacris ſermonibus vitæque exemplis ac miraculis tantam lucem Chriſtianæ religionis effundunt, vt nemo propemodum

SS. Luiglius & Luglianus 23. Octob.

Vitam eorum ſcripſit Andreas Hertbius.

eſſet, qui Chriſtum non amplecteretur, & luſtrali aquâ expiaretur. Inter ſigna magnum iſtud & obſtupeſcendum omninò, quòd Teruanam vrbem, ab incendio, quo peritura prorſus videbatur, ſummâ omnium admiratione liberarunt. Adeò & animas, & corpora & ciuium opes ſanctiſſimi viri ſeruabant. Obligati ſunt illis Morini, quorum ditionem cùm eâ tempeſtate Vandali vaſtauiſſent, nouas per Luiglium Luglianumque è cœlo opes ad ſalutem receperunt. Obligati ſunt & Arteſij, apud quos eorundem operâ religio ſplendidiùs inclaruit. Vt vitæ ſanctitatem ſuſceptoſque hactenus in propaganda Chriſtiana fide labores martyrij laureâ coronarent terminarentque, ſub impiâ ſicariorum manu ferroque in nemoribus Morinenſibus, dum ea laudes diuino Numini decantando pertranſeunt, occubuerunt. Tam nefandi facinoris reus fuit Berengarius quidam latrociniјs famoſus, cui Bouo & Heſcelinus eiuſdem fratres alijque in quoſuis graſſando ſeruiebant. Sed exceperunt Arteſij ſacra Martyrum corpora, & Lilerij depoſita debito honore proſequuntur. Auxit honorem Eliſabetha Luſitana Philippi Boni vidua, quę ligneum feretrum in argenteum miro artificio cælatum, commutauit. Feſtum

Meteolus in Chronic Belgico.

Lile-

Lilerienſes Octobris vigeſima tertia ſolemne celebrant.

Vobis quoque, ô Atrebatenſes, Kilianum ſanctiſſimum Epiſcopum, & regio prognatum ſanguine, Apoſtolum Hibernia dedit. Peragrauerat iam ille patriam ſuam vniuerſam, & partim ſacro eloquio, partim miraculis illuſtrarat; Romæ in Pontificia Apoſtolorũ Baſilica annos vndecim diuini Numinis cultui impenderat; magnam Franciæ partem populos ad Chriſtum adducendo percurrerat, ſed Belgio debebatur. Huc illum Faro vir ſanctitate inſignis, & ad Atrebatenſes potiſſimùm, ablegauit. Non opus hîc verbis. Breuiſſimo tempore tantam religionis lucem ſparſit, vt illi depulſis errorum tenebris non alios apud ſe, quam Chriſtianos, cenſerent. Tanta vis erat Kiliani doctrinæ, tanta miraculorum potentia. Illâ trahebantur, his cum ſtupore impellebantur. Regio more agebat, & hinc illi fides; ſuauitatem admiſcebat, & hinc amor; eloquio patrata ſupra naturam opera iungebat, & hinc admiratio, quæ dubium omne excludebat. Sed illa in regij ſanguinis viro ſanctitas admiranda quandam purioris vitæ ſanctimoniam præcipere videbatur. Nec defuerunt imitatores. Adeò non Chriſtia-

S. Kilianus ſeu Chillenus & Chillianus. 13. Nouembris.

Molan. ad diem 13. Nouembris. Ex Chronic Cameracenſi.

 nos

nos tantùm, ſed etiam Sanctos facit Atrebatenſes. Nota erant iam miracula, quæ antè patrarat, quod Religioſis pane piſtoris negligentiâ deſtitutis ſolo ſuo in piſtrinum ingreſſu ac clibani purgatione, abundè providiſſet; quod fractum pincernæ imprudentiâ vitreum poculum, cùm ad Faronis menſam ſederet, integrum collectis fragmentis reſtituiſſet; quod cùm ei Comitis Eulcufurtini vxor potum negauiſſet, ac propterea cellæ penuariæ penitus exaruiſſent, eiuſdem reuocati precibus omnium rerum abundantia penatibus redijſſet. Quanquam plura ipſi & maiora viderant obſtupuerantque. Fatis tandem Albiniaci in agro Atrebatenſi conceſſit, ibidemque ſepulchrum eſt ſortitus. Gloriare in Kiliano Arteſia, retines eum, à quo ſalutis doctrinam & Religionem tui Atrebatenſes acceperunt. Sed Hibernis obligata es.

Ex Chroni. Atrebatenſi.

Ex vi. S. Faronis.

S. Vulganius 2. Nouembris.

Quem Kiliano ſubiungam, niſi *Vulganium*? Alter hîc Atrebatenſium Apoſtolus fuit, è Scotia, hoc eſt Hibernia tum, oriundus. Clari illi & Catholici parenrentes obtigerant, ſed ſanctitate & miraculis clarior erat. Nec illi animus, niſi ad pacem. Ideo diſſidijs componendis idoneus, priuatorum diſcordias & bella ſopiebat. Danorum plurimos, cùm Cantobe-

Molan. ad diem 2. Nouembris.

toberiam obſidione cingerent, ad Chriſtianam religionem adduxit. Verùm ad aliam expeditionem Angelorum monitu vocatus, ad Morinos trãſmiſſo mari penetrauit, apud quos agreſtem plebem ſeptennio religionis Chriſtianæ rudimentis inſtruxit, exemplis ſanctiſſimis firmauit. Atrebatum inde conceſſit, ibidemque nouos Chriſtianos tantâ vi doctrinę, totque prodigioſis operibus illuſtrauit, vt alter dici Apoſtolus meruerit. Domicilium illi erat exigua iuxta S. Vedaſti cœnobium cellula in qua è viuis de Atrebatenſibus optimè meritus exceſſit. Neque dubium eſt, quin ſepulchrum Atrebati ſit ſortitus, ſed Lenſium, (Arteſiæ hoc oppidum eſt) inde tranſlatus, ibidem ſolenni feſto colitur. Eius aliquando reliquias Franci vaſtatâ vrbe ſuſtulerunt, ſed conſtitutâ demùm pace priſtino loco reſtituerunt.

Ex Chron. & Martyrologio Cameracenſi.

Fauiſſe mirum in modum Atrebatenſibus cœlum videtur, vt in Chriſtianæ religionis profeſſione eminerent. Nam etiam illis ſanctiſſimum *Furſæum* induxit. Quod mireris in tam multis, regiâ è domo prognatus erat, & Philtani Hiberniæ Regis filius, ſanctorum Foillani atque Vltani frater. Sed nec illum patria detinuit, in qua circa annum ſexcenteſimum

S. Furſæus 16. Ianuar.

Molan. 16 Ian.

quin-

quinquageſimum inſigni vitæ ſanctimoniâ florebat. In Galliam, ut Chriſti præco eſſet, traiecit, apud Veromanduos & Atrebates tandem ſubſtitit, nec otioſus. Quod antè apud Hibernos ſuos, Scotos, Britones & Anglos, hoc idem hic egit; religionem Chriſtianam latè extendit, Dei verbum magno populi fructu diſſeminauit. Vno hoc, præter cætera, miraculo incredibilem nominis ſui famam per Gallias excitauit. Atrebati nobilis fœmina petenti Furſæo hoſpitium negarat. Vix ille diſceſſerat, morbo ipſa corripitur. Quid ageret? Virum ſanctum reuocat, ægritudini medelam expoſcit. Reverti quidem renuit ille, ſed non medelam; abſens quippe ægram ſanauit. Huius rei certior factus Ercanaldus Princeps, tum Francici palatij magiſter, locum illi, vt Latiniaci & Peronæ monaſteria conſtrueret, libenter indulſit, & opes aliquas adiecit. Porrò ne Belgij, & Arteſiæ potiſſimùm, oblitus videretur, fratres ſuos Foillanum & Vltanum, alioſque inſignes ac ſanctos diuini Verbi præcones iſthuc euocauit, de quibus poſtea nobis ſermo. Ipſe poſt fata Peronæ inhumatus, ex humo deinde per Eligium Nouiomenſem & Aubertum Cameracẽſem Antiſtites eductus, quòd integrum quarto poſt obitum

Surius in eius vita.

anno

anno corpus reperiſſent, ſummo inter Diuos honore & apud illos, & apud Atrebatenſes ſemper eſt cultus. Eius memoriam ad poſteros Beda & Baronius transmittunt.

Eodem ſæculo ſexto & anno quinquageſimo Sanctus *Obodius* cum Furſęo alijſque in Galliam appulit. Idem illi animus, qui Hibernis alijs, idem alienæ ſalutis ardor, idem Euangelij diſſeminandi propoſitum. Sed Arteſiam ſibi excolendam elegit, quam totam ita peragrauit, vt vbique Chriſtianæ doctrinæ ſemina altè iaceret, non ſine vberrimæ ſpe meſſis. Potiſſimùm tamen circa Atrebatum laborauit. Hic fidei Catholicæ rudimenta rudioribus tradidit, hic concionibus aſſiduis ad cœleſtis gloriæ præmium excitauit. Sequebatur illum frequens turba, & ab eius ore pendebat. Tam gratum erat eloquium, quo animos ad Deum trahebat, ab auitis erroribus retrahebat. Nec deerant miracula, quibus in recepta religione nouos Chriſtianos confirmabat. Vnum hoc pro omnibus ſit. Wancourtij, (pagus Arteſiæ eſt) fontem ſuarum vi precum excitauit, cuius aquam qui ægri debileſque guſtabant, ilicò ſanitati reſtituebantur. Ingens proinde ad illum hominum eâ ætate confluxus, nec fruſtrà.

S. Obodius 10. Iulij.

Lambertus de watterbos in Chronico ſui temporis Georgius Colvener. Duaci Doctor Theol.

Fortè

Fortè in eum quodam die ſerpens inciderat, ſed vir ſanctus ſolo crucis ſigno protinùs extinxit. Durat ad hoc tempus miraculum. Nam qui cùm febri confligantur, hauſtâ ex hoc fonte aquâ plerumque tanti viri meritis curantur. Verùm ſine inuidia tanta virtus eſſe non potuit, & fuerunt, qui Obodio inſidias ſtruerent, eumque ad pernitiem perſequerentur. Hanc ob cauſam Laudunum conceſſit, ubi auſtero vitæ genere Doctorem Gentium imitatus ſeſe inediâ & ieiunijs macerabat, ut rationi corpus ſubiugaret. Non tam homo, quàm Angelus quidam videbatur, & talem vita probabat. Interim numquam illi facies ſicca; adeò continuis lachrymarum imbribus totus vultus madebat. Nec tam pro ſe, quàm pro ſuis perſecutoribus illas effundebat. Imò etiam ſubmiſſas pro ijs preces Diuinæ Majeſtati quotidie offerebat. Hoc erat hominum ſeruatorem imitari. Confecto tandem vitæ ſpatio meritorum plenus in cœlum vir ſanctiſſimus euolauit, magnum Arteſio ornamentum, & Hiberniæ decus.

Miraculum ad x. Iulij.

CAPVT

CAPVT V.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Hannonia per Sanctos, Ettonem, Adalgiſum, Abelem, Vuaſnulphum, Mombolũ.

ETiam in Hanonia plurimos ad Chriſti imperium Hiberni adduxerunt, & eandem glorioſis meritis ſuis exornarunt. Prodeat in hanc prouinciam Sanctiſſimus *Etto*, primumque locum occupet. Is ex Hibernia cum Foillano, Vltano, Adalgiſo, Eloquio, alijſque ſanctitate clariſſimis viris Romam profectus, celeberrimum toto orbe Principum Apoſtolorum delubrum, ut quandam à Deo miſſionem obtineret, inuiſit. Inde admoniti diuinitus omnes, in Galliam commigrarunt; cumque alij diuerſis in locis ſedes quodammodò ſortirentur, glorioſus Etto ad lacum Corbriolo adiacentem conſedit. Hic non ſine ingenti difficultate, quam illi Iouinus eiuſdem loci dominus inferebat, Cœnobium conſtruxit, cui nomen *Domum Petri*. Neque aliud tunc illi negotium, quàm Dei verbum aſſiduis concionibus diſſeminare, rudium men-

S. Etto 10. Iulij

Molan. ad. X. Iulij

mentes Chriſtianis inſtitutis imbuere, viam ad cœlum, quà vitę puritate, quà bonorum operum & virtutum meritis patefacere, omnium denique ſalutem ſedulò quærere. Quam ob cauſam, qui eius laboribus proficiebant tanto in illũ amore ferebantur, vt promptiſſimâ largitione in eum & Religioſos ipſius ſectatores opes ſuas effunderent, & obſequio colerent. Creſcebat in dies ſanctitatis eius fama, pluresque ad Chriſtum alliciebat, alios virtutum ſuarum imitatores efficiebat. Multus omninò labor eius, ſed ingens quoque fructus. Demùm cùm eos, quos naſcenti Eccleſiæ aggregarat, in Chriſtianâ religione confirmaſſet, qui

Cameracenſis hiſtoricus.

iam non mundo amplius, ſed Chriſto viuebat, conſummato vitæ curſu feliciſſimum ſpiritum cœlo tranſcripſit. Vidit

Miræus Menardus, aliique.

morientem Fiſciacum, *Donum Petri* corpus accepit: Bloſius Lætienſis Archimandrita inde illud Lætias & ad ſuum Monaſterium, annuente Iulio tertio Pontifice, tranſtulit. Coli nullibi melius, quàm ſub tam ſancto Præſule, & in domo tam religioſa poterat.

S. Adalgiſus 2. Iulij.

Ettoni *Adalgiſum*, fratri fratrem ſubiungo, & Sanctum Sancto. Venerat is ex Hiberniâ ſuâ presbyter glorioſus cum alijs diuini verbi præconibus, qui vbi varia

loca

loca partiti inter ſe, ut velut areas excolerent, ipſe inter Iſaram & Helpram ad Chriſtum annuntiandum prouinciam ſortitus, in ea, quâ ſacro eloquio, quâ virtutibus & miraculoſis operibus ita verſatus eſt, ut iſtum Hannoniæ tractum ad Eccleſiæ Chriſtianę imperium adjunxerit. Nullus illi labor erat niſi pro Chriſto; nullum emolumentum niſi hominum ſalus. Agebat cum hominibus, & cum Angelis; & hi, vt cellulam ad Oiſæ fluvium iuxta S. Iuliani montem conſtrueret, authores illi fuêre. Sed locum ipſe miraculo illuſtriorem reddidit. Quippe fontem ibidem ebullire è terra fecit. Sanctitatis hæc vis erat, cui terra obtemperabat. Nec ille fons ad ſitim duntaxat extinguendam, ſed ut in eo ægri medicinam inuenirent, & ex eo haurirent. Alia vidit & obſtupuit Hannonia. Viuebat tum cum eo Corbicanus, qui cùm in Hiberniam, ut patrimonium diuenderet, remiſſus eſſet, accinctus reditui morbo extremo correptus, ſuum cum theſauro corpus ad Beatum Adalgiſum tranſmitti iuſſit. Obijt ipſe, & quod iuſſerat, factum. Mortuus ad Adalgiſum redijt, à quo viuus diſceſſerat. Sed & ipſe Adalgiſus cum inſigni vitæ ſanctitate, prodigioſiſque operibus, doctrinam ſuam omnibus probauiſſet,

Oldonus 2. Iulij.

S. Corbicanus.

Miræus in faſtis.

Menardus. VVion, aliique.

meritis plenus clarusque è viuis exceſſit, vt æternum cum immortalibus viueret. Tantum tam ſancti corporis theſaurum ſibi Eilbertus Comes vendicauit, monaſterioque ad Sanctum Michaelem in Theraſcia à ſe exſtructo adſcripſit. Hic in omnium memoria viuit, & omnium pietate colitur.

S. Abel 5. Augusti. Sanctum *Abelem* in Hannonia ad conuertendos infideles Gentilique ſuperſtioni addictos laboraſſe nemo dubitabit. Quippe in Lobienſi monaſterio ſeu Præſul fuerit, ut erant tunc plures illo titulo ornati, ſeu Præſulis adjutor, cum dignitate vixit. Et præcipuus illi eo æuo labor, alienos à Chriſti fide Eccleſiæ aggregare. Fecit, & ſedulò fecit, & naſcentem Eccleſiam numero Chriſtianorum auxit, nec alio in labore vitam terminauit. Adeò meritis in Hannoniam par alijs fuit, cum quibus ex Hibernia ſua ſacram hanc expeditionem ſuſceperat. Plura me de illo dicere, hiſtoria, quæ Nordmannorum iniurijs intercidit, non patitur. Sepulchrum Lobijs illi primò fuit, inde Binckium, Hannoniæ oppidum Cameracenſis Diœceſis, eſt tranſlatus. Habet ſacrum hoc pignus Hannonia, & colit Hibernis obligata. An Epiſcopus Rhemenſis fuerit, nihil ad hoc propoſitum; Le-

M. Ian. 5. Augusti. Eodem die Mireus, Menar. alij.

gatum

gatum Apoſtolicum fuiſſe, nefas dubitare.

Nec præteriri *Vuaſnulphus* ſanctiſſimus Antiſtes debet, de Hannonia præclarè meritus. Is ex Hiberniæ Inſula, quo tempore Vincentius Comes ad Hanniniæ gubernacula acceſſit, in eandem appulit, hoc eſt, (vt in Martyrologijs Belgicis legitur) in Theraſciæ ſaltum. Et quidem eo in loco, cui Cella nomen, aliquamdiu moratus, vitam inprimis ad perfectæ ſanctitatis normam inſtituit, tum ſe ſacris laboribus ita accinxit, ut totus in hominum ſalutem incumberet. Aſſiduus erat inſtruendis rudioribus, plurimos nondum Religione Chriſtianâ initiatos concionibus ſuis ad Eccleſiam adducebat, veterum errorum nubes clariſſimâ Euangelij luce diſſipabat. Quaſi oraculum eſſet, eum de ſalute omnes conſulebant; ipſe magno ardore reſpondebat, ſuauiſſimè inſtrüebat. Nec fidem adhibere recuſabant, quam vltrò tanti viri ſanctitas faciebat. Ex eo loco Condatum migrauit, vbi tum religioſa domus, Deiparæ Virgini cœlorum Reginæ ſacra. Ita monuerant Angeli, & deduxerant. Virginum illa domus & Abbatia primum fuit, deinde Canonicorum, qui etiamnum hodie eam poſſident. Hic autem ſanctiſſimus Vuaſnulphus

Vuaſnulphus 1. Octobris.

Chronica Hanoniæ.

Molan. 1. Octob

Chronicum Cameracēſe

nulphus divino cultui & obſequio reliquum vitæ tempus impendit, tantâ ſanctitatis famâ, vt eum ſæpè Vincentius Comes Cōdato in altum montem euocaret, non alio conſilio, quam ut cum eo de rebus cæleſtibus ſermonem miſceret, & de populi ſui ſalute conſultaret. Delectabatur quippe vehementer Vuaſnulphi colloquijs, & eius præſentiâ ad perfectionem Chriſtianam excitabatur, ac quodammodo virtutem ex eius oculis hauriebat, ipſe tamen ſanctus, ſed proficere amplius volebat, ne deficeret. Humanæ vitæ ſtadium tandem decurrit, & inter Diuos relicto Condati corpore, triumphat. Ne quis de ſanctitate eius dubitet, confluunt ad tumulum illius ægri, & ſanantur. Hoc Hannoniæ, præter alia, beneficium reliquit.

S. Mombalus 18. Nouembris. Invidit poſteris *Momboli* gloriam temporum fatum. Hoc ſcimus, ex Hibernia cum Furſęo, Vltano, Foillano, alijſque in Galliam Belgicam veniſſe, Latiniaci Abbatem fuiſſe, & diſcipulorum contra ſe conſpirationem expertum. Nec mirum, ſenſit ipſe Diuus Benedictus aliquando. *Molan. ad 18. Nouembris.* Idcircò in Hannoniam cum paucis fugit, quibus mens à ſcelere aliena; & ad Iſaram fluuium, eo in loco, qui vulgò Condrynus, conſedit. Et hic accepta divinum

verbum

verbum diſſeminandi poteſtate ab Eligio Antiſtite, tam diu Apoſtolicum virum egit, donec terras cum cœlo commutauit. Miracula ſanctitatem comprobarunt. Corpus habet Diui Petri in Nouiomenſi Diœceſi templum. Ita viſum Aletgario Cameracenſi Præſuli, vt viri ſanctiſſimi cultus in dies creſceret, creſcentibus in dies miraculis. *De eo Miræus VVion, alij.*

CAPVT VI.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Namurcenſi Comitatu per Sanctos Forannanum *&* Eloquium.

QVi Belgicam Galliam excolendam ſibi ſumpſerant ex Hibernia viri ſancti, deeſſe Namurcenſi Prouinciæ nequaquam voluerunt. Exiguus equidem campus, ſed in quo meſſis vberrimę ſpes erat. In hanc *Forannanus* falcem injecit, nec ſpes eũ, nec fructus decepit. Nobili genere clarus, eas cum moribus optimis artes imbibit, quæ virum Eccleſiaſticâ dignitate ſublimem, & Apoſtolicum decerent commendarentque. Idcircò Archiepiſcopatus illi Inſula Hiberniæ ſeu antiquæ Sco- *S. Forannan. 30. Aprilis.* *Molan. 30. Aprilis.*

tiæ delata. Eam tum ſibi regni iſtius Metropolis *Dominomir* vendicabat. Accepit, & moribus doctrinaque ac vitę ſanctitate ita exornauit, ut alteri melius conuenire non potuiſſet. Quippe Eccleſiæ ſuæ ornamentum erat, & regni delitium, dicam etiam, miraculum. Sed quicquid in Hibernia præclarum, Belgio cœleſte Numen deſtinabat. Inde noſtra ſalus. Monetur Angelicâ legatione, vt mare tranſmittat, Vallem decoram adeat. Paret ipſe, ad mare duodecim ſtipatus comitibus deſcendit; verùm cùm omnia adeſſent, nauis deerat. Quid ageret, aut quo ſe verteret? Sed Sanctis deeſſe conſilium non poteſt, quibus è cœlo auxilium nunquam deeſt. Obſtupeſce poſteritas. Duo ligna in crucis formam diſpoſita, dum in littore proſpicit, animaduertit, nec cunctatus in illa ſe & comites conijcit. Non opus illi vento; afflabat cœleſtis ſpiritus aura, qua medias inter procellas in Galliam Belgicam appulit, & Vallem decoram attigit. Hæc Valciodorum eſt, vbi Eilbertus Comes, qui Monaſterium excitarat, Sanctiſſimum Forannanum ipſe Sanctus humaniſſimè excepit, & cum eodem mox Romam contendit. Sedebat in Apoſtolico ſolio eâ ætate Benedictus ſeptimus, qui Forannanum & Abbatem Vallis decoræ, & Epiſco-

Epiſcopum, quamdiu viueret, eſſe iuſſit, Monaſterium principali authoritate confirmavit, priuilegijs quam plurimis donauit. Relictâ mox Româ dum iter repetunt, Gorziæ Diui Benedicti veſtem induunt, & in legem iurant, deinde Valciodorum appellunt. Impar lætitiæ ſuæ, & gratijs referendis Eilbertus Comes ſpectante vniuerſo populo opes maximas Monaſterio ſuo adſcribit. Condidiſſe parum erat, niſi etiam dotaret; ſed vel idcircò potiſſimum illi gaudium, quod eidem tantus Antiſtes præeſſet. Vixit ipſe poſtea annis tantum ſeptem, & Fleruci commutatâ cum morre vitâ, virtutibus meritiſque glorioſus ad Diuos migrauit, cui Forannanus Valciodori tumulum pro dignitate adornavit, & parentauit. Ipſe verò deinceps in omnes curas animum intendens, tanquam Abbas Monaſterium ſuum ad perfectam ſanctitatem compoſuit, tanquam Epiſcopus populorum circumquaque ſaluti inuigilauit. Domi virtute ſuis prælucebat egregius Archimandrita; foris & inter populos concionando ignaris Chriſtum annuntiabat, iam imbutis religione virtutum opera proponebat, omnibus ad cœlum viam oſtendebat. Alia mox ditionis totius facies, nec alteri niſi Chriſto, cultus diuini Numinis defere-

Officiũ Namurcenſe.

VVion, Monardus, Mormanus, aliique.

deferebatur. Quippe tanquam paſtor vigilantiſſimus ſingulos ad ſalutem ducebat, tanquam pater benigniſſimus inopes iuuabat. Inde pater pauperum illi paſſim nomen. Sed & omnium magiſter erat docendo, omnium norma viuendo, omnium admiratio prodigioſa opera patrando. Demùm anno ſupra nongenteſimũ octuageſimo ſecundo obijt Valciodori, & ibidem tumulum eſt ſortitus, qui vt Diuum complecti crederetur, quam plurimis ad ſtuporem miraculis inclaruit. Non aliud inſcribi tumulo Epitaphium placuit, quam hoc, *Sancte Forannane ora pro nobis.* Vt nimirum huius ditionis Namurcenſis indigenæ eum ſe faterentur ex Hibernia Apoſtolum habuiſſe, quem poſt fata Patronum ſuum in cœlo crederent & inuocarent, atque idcircò patrocinium Hibernis deberent. Aſſeruatur in templi ſacrario brachium, item ſtola eius ſacra, cuius attactu plurimi, qui rabidi canis morſum ſenſerant, curati.

S. Eloquius. 3. Decébru.

Felix Valciodorum Sancto Forannano, felix iterum S. *Eloquio.* Vtroque pignore ſacro felix Namurcenſis Ditio. Sed Eloquium ſine eloquentia deprædicare quis poteſt? Ad inſtitutum noſtrum ſatis hoc erit. Venit ipſe in Galliam cum Furſeo, Foillano, Vltano, alijſque, nec aliud illi,

quam

quam iſtis, propoſitum; Chriſti imperium propagare, Euangelij doctrinam diſſeminare, mortales ad cœleſtem gloriam ex gentilis ſuperſtitionis tenebris auocare. *Molan. 3. Decẽbris.* Egit hoc primum in Gallia, & Latiniaci à Beato Furſeo relictus religioſæ Familiæ curam ſuſcepit. Sed ecce in religioſa Familia non religioſus omnium animus. Quidam ſeverioris diſciplinæ tædio in Eloquium conſpirant, vnde illum diſcedendi cupiditas inuaſit. Abit igitur, & cum paucis Grimacum ad Iſaram contendit, ſeque totum ad vitam Anachoreticam componit. Gratum illi erat otium, ſed laborioſum, vt Deo vacaret, nec homines deſereret. Nouerat Sanctus Eligius ſinceram eius religionem, ac proinde vt illi laboris campum aperiret, ſacris illum ordinibus initiauit, ac per Diœceſim ſuam diſſeminandi Euangelij poteſtatem fecit. Arripuit ille auido animo hanc poteſtatem, nec enim ſibi tantum viuere, ſed omnibus volebat, & quaſi ſuæ eſſet oblitus ſalutis, in aliorum ſalutem curas omnes & labores intendebat. In Hannonia & Namurcenſi agro, quo ſæpius excurrebat, cœpit Chriſtianæ doctrinæ ſemina iacere, veterum errorum nebulas diſcutere, omnes religionis face illuſtrare. Reſpondit labori fructus, *Surius in eius vita.*

 nam

nam vtrobique Eccleſiæ imperium extendit, & adipiſcendæ ſalutis ſpem fecit. Fructum laborum virtutes eius accelerarunt. Nam illo nemo ſubmiſſior, nemo in aduerſis patientior, nemo ſuperiorum mandatis obſequentior. Erga pauperes benignitatis ipſius perſonam, erga peregrinos humanitatis ſuſtinebat; illorum erat perfugium, horum receptaculum. Verbo dicam, omnia omnibus erat, vt omnes ad Chriſtum & ſalutem adduceret. Perire ſeipſum, quam alios, maluiſſet. Interea vitæ ſanctimonia & miraculis longè latèque fulgebat. Obrepſit tandem vitæ vltima portio ſenectus, ſenectutem mors intercepit, corpus terra apud Iſaram accepit, ſed vbi eius nomini ſacra ædes crebrò à populis opem illius implorantibus frequentata. Eam cùm Danorum rabies concremaſſet, nihil in ſacrum corpus iuris habuit, quod cum ſecreto in Sarcophago deliteſceret, irradiante diuinitus lumine, & canentium Angelorum voce proditum eſt. Hac occaſione religioſus Comes Eilbertus, ut illud digniorem in locum transferret, à Rodehardo Laudunenſi Antiſtite impetrauit, & Valcidiorum tranſtulit. Certare pro illo Hannonia cum Namurco viſa, ſed vicit Namurcum, & Valciodoro ſuo Eloquium aſſeruit. Ita beata

Roſtbadius. Miræus aliique.

Sancto-

Sanctorum Inſula Hibernia ſanctos ſuos Prouincijs alijs, vt illas ſanctas efficeret, tranſmiſit. Quid rependent? Opem ſanè cum gratitudine.

CAPVT VII.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Ditione Leodienſi, & iterum Namurcenſi, & Brabantiæ parte, per Sanctos Vltanum, Foillanum, *&* Bertuinum.

QVos locus unus, vrbs Foſſarum in Eburonum Ditione, complectitur, hos ſimul, *Vltanum* & *Foillanum* produco. Potuit locus vnus ambos mortuos complecti, non vnus locus amborum labores, dum viuerent, continere. Latiori campo egebant, vt eorum virtus excurreret; ampliori theatro, vt apparerent. Populares erant, ex Hibernia ambo, & ambo fratres germani, & ambo ſancti. Separemus tamen viuos, quos idem locus ſepulchris coniunxit, vt vtrique ſua gloria ſit, & fructus laborum cognoſcatur. *S. Vltanus 2. Maij.*

Atque inprimis *Vltanus*, vt ſe ad ſacram expeditionem præpararet & cum cœlo paciſce-

Beda lib 6. hiſt. Anglicã paciſceretur, ſub religioſa in Monaſterio diſciplina animum compoſuit. Deinde Anachoreticæ vitæ inſtitutum amplexus continuis ad Deum precibus, & inſigni continentiâ ſeipſum ſuperavit; nec aliter, quam ſuarum manuum labore, quotidianam annonam ſibi comparauit. Dignus Chriſti Athleta, prius cum Deo conuenire, quam cum hominibus agere voluit. Hæc prima illi vita, cœleſte Numen orare, animum contra labes omnes firmare ac puriſſimum ſeruare, ſuo ſe labore ſuſtentare, ſed illum ad deſtinatam expeditionem cœlum vocabat. Igitur in Galliam Belgicam cœlo auſpice duceque contendit, & eas ſibi partes deligit, quæ circa Sambram confinio Brabantiæ, Namurcenſis & Leodienſis Ditionum, continentur. Hic virtutem & doctrinam ſuam exe- *Molan. ad 1. Maij.* ruit, hic Dei verbum diſſeminauit, hic Euangelij vim aperuit. Docebat quotidiè, concionabatur aſſiduè; nunc teneræ ætati prima religionis rudimenta & pietatem inſtillabat, nunc adultos vehementer percellebat, vt vitia exuerent, religionis lucem ne aſpernarentur. Extitit ingens non longo tempore tanti laboris fructus. Quippè plurimi in dies Eccleſiæ adſcribe- *Miræus in Faſtis* bantur, & quaſi ex ore eius pietatem Chriſtianam hauſiſſent, vitijs exuti puriorem

rem vitam ducebant. Tanti eſt ſedulum & ſanctum populi ductorem eſſe. Vita ſanctitate illuſtris & operibus potens non niſi ſanctos efficit. Sine operibus & vitæ ſanctimoniâ inanis eſt omnis doctrina. Eâ tempeſtate Gertrudis ſanctiſſima virgo Niuellis agens Vltani virtutem admirata, eiuſdem familiaritatem expetijt. Commeabat ille frequenter ad illam, nec aliud commercium, quam de Deo, de cœleſti gloria, de virtute colloquium. Delectabatur ſanctitate doctrinâque viri Gertrudis, & proficiebat. Idcircò vt aliquid ipſa rependeret, partem hæreditatis ſuæ, villam nimirum Foſſas dictam, Deo conſecrauit, & Vltano, vt perpetuum eſſet peregrinorum hoſpitium, obtulit. Ea in Monaſterium mox erecta, cui ipſe vir ſanctus præerat; plures, quos pietas attraxerat, ſub eius diſciplina peregrinorum affluentium neceſſitatibus inſeruiebant. Videbatur ipſa miſericordiæ domus & ſedes; imò erat ſanctitatis ipſius domicilium. Paulò pòſt Gertrudem, quanquam in ætatis flore, fatum extremum vrgebat, & ipſa ſentiebat. Quare religioſum vnum ad Vltanum Foſſas deſtinat, vt diem mortis ſuæ, ſi fortè eum diuinâ reuelatione cognouiſſet, indicaret. Paret ille, & virginis mandatum exponit. Cui Vltanus,

Marian VVion, aliique.

In vita S. Gertrudis.

vade,

vade, inquit, & feſtina, craſtina die xvi. Calendas Aprilis Virgo ſub ipſo divinæ rei tempore è viuis excedet. Curioſus, qui miſſus erat, religioſus, An tu ipſe, inquit, hoc dicis, an hoc tibi cœleſte Numen reuelauit? Non opus hâc morâ, ait Vltanus, Abi, cras enim non vivet. Nihil tamen reformidet, Diuus enim Patricius, cuius ipſa ciues Hibernos dilexit, cœleſtium ſpirituum ſtipatus cohorte morienti occurret, & in cœlum comitabitur. Vt dictum, ita factum, poſtridiè Gertrudis vitam reliquit. Adeò Hiberni quos viuos inſtruebant, mortuos ad cœlum ducebant. Ipſe quoque tandem Vltanus perfunctus immortali cum laude Apoſtolici viri officio ad immortales migrauit, & in æde Diuæ Agathæ ſacrâ prope Foſſas mortale corpus depoſuit. Debet illi Belgium æternam memoriam, & erga Hibernos gratitudinem.

Foillan. 30. Octobris. Veniamus nunc ad *Foillanum*. Hic exemplo Vltani fratris ſui permotus ex Hibernia in Galliam, è Gallia ad ipſum peruenit. Nec in alio ipſe campo ad hominum ſalutem decurrit; quodque Vltanus, hoc ipſe, quâ docendo, quâ concionando, quâ ſummæ ſanctitatis operibus, egit. Neque minus illi, quam Vltano, Gentes iſtæ debent. Totum ſe, vt cœlum aſſequerentur, *Molon. 30. Octobris.*

impen-

impendit. Viuebat tum adhuc Diua Gertrudis, quæ illum vt feruentiſſimo propter ſanctitatem amore complectebatur, ita in familiaritatem admiſit. Sæpè audijt, ſæpius familiariſſimè de cœleſtibus rebus cum eo diſſeruit. Hæc nimirum Sanctorum eſt occupatio, hoc vnicum negotium. Alij, quæ nihil ad ſalutem attinent, tractant, curuæ in terras animæ. Clareſcebat in dies Foillani virtus, & inde fama creſcebat, ſed non minus Gertrudis erga eum charitas, quæ diuelli ab eo velut vitæ ſuæ magiſtro vix poterat. Debuit tamen. Nam cum die quadam Carbonariam ſeu Soneſiam ſyluam vir ſanctus cum tribus comitibus pertranſiret, in impiorum latronum manus incidit, qui odio eius incenſi illum cum tribus, quos ſecum ducebat, diſcipulis, interemerunt. Ita Martyrij palmam Foillanus adeptus eſt. Quo tempore Vltano candidiſſima columba, cuius alarum extrema ſanguine tincta, apparuit, hocque ſigno ille fratris ſui mortem didicit. Verùm cum anxia Virgo Gertrudis fruſtra in omnes partes nuntios miſiſſet, qui nullum Foillani veſtigium vllibi reperiſſent; intellexiſſet autem Vltani viſum, de morte illata non dubitans triduò ieiunium ſibi & ſuis indixit. Mox ſe in iter coniecit, præeunte diuinitus can-

Marian. VVyon. aliique.

Ex vita S. Gertrudis.

didiſſimâ

didiſſimi fulgoris in columnæ formam nube, quæ demùm ſe, vbi Martyris corpus deliteſcebat, in terram demiſit. Nec defuit inſuper Angeli indicium. Itaque prima ſyluam ingreſſa, prima quoque locum cœlitus oſtenſum attigit, & Beati Martyris corpus integrum ac incorruptum inuenit. Ilicò exclamat, lachrymatur, in amplexum ruit, gratulatur, iterum deflet; tum illud, & ſociorum corpora Foſſas ſolemni pompâ deferri curat. Duplici pignore hoc oppidum apud Eburones illuſtre eſt, vt Hibernis fauoris ſui pignus non inuiti conſtituant. Iſtud verò Foſſenſe Monaſterium, hodie Canonicorum Collegium eſt.

S. Bertuinus 11. *Nouembris.* In hunc locum ſe quoque Sanctus *Bertuinus* infert, de Namurcenſibus & Leodienſibus optimè meritus. Natus in Hibernia, educatus aliquo tempore in Anglia, Romæ pietatis exercitijs biennio vacauit. Inde in Galliam Belgicam cœleſti voce admonitus venit, inque ſaltu, qui vulgò Marlignia, & ad Sambræ fluuium conſedit. *Molan.* 11. *Nouembris.* Primum illi opus ædes vna ſacra, quam Maloniæ honori Deiparæ Virginis dicauit. Tum populorum ad Chriſtum conuerſioni operam dedit, quâ in re virtutem pluſquam humanam, doctrinam planè diuinam oſtendit. Inde

illius

illius maxima apud Principes viros admiratio, apud populum incredibilis amor. Idcircò Odoarius Princeps, cui tum Floreſſiæ domicilium erat, cùm Bertivini virtutem admirari ſatis non poſſet, eum Pipino multa cum laude commendavit, qui eam ob cauſam viro ſanctiſſimo villas quinque ſingulari liberalitate donavit. Et quid ni Principum beneficentiam ſenſiſſet, qui ſuæ doctrinæ radijs errorum & vitiorum tenebras tam feliciter diſſipabat? Dubites tamen, virtute an doctrinâ major eſſet, qui utraque maximus erat. Non dubites autem, quin ejus erga Namurcenſes & Leodienſes merita ſummum Hibernis amorem debeant conciliare. Vbi viſum Divinæ Majeſtati Bertuinum ad cœleſtem gloriam evocare, corpus Maloniæ depoſuit, nec aliter ſacram ſuam expeditionem, quam moriendo finivit. Meminit Sigibertus anno ſexcenteſimo quinquageſimo primo.

CAPVT VIII.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Geldria, per Sanctos VVironem, Plechelmum *&* Othgerum.

FAto quodam factum opinor, vt nulla in Belgio Provincia eſſet,quæ non aliquam ſalutis ſuæ partem Hibernis acceptam referret,vt omnes illis obligarentur. Etiam ab illis Geldria Apoſtolicos viros & Fidei magiſtros accepit. Sigillatim ij à nobis producentur.

S. VViro 8. Maij. In hanc Provinciam *Sanctus VViro* primus incurrit. Erat is ex antiqua Scotia ſeu Hibernia oriundus, parentibus honeſtis, nec infimæ conditionis, ſed quibus ipſe præluxit. Adoleſcens magnâ aviditate litteras hauſit, ſed maiore virtutes, Adeò doctus eſſe volebat, magis tamen, vt bonus eſſet, ſatagebat. Inde illi virtutum incrementum, quod Chriſti amore incenſus terrena deſpiceret, ad cœleſtia totis viribus anhelaret. Cujus animum proinde nec aduerſa frangebant,nec ſecunda efferebant. At quemadmodum nullis vigilijs fatigabatur, ita jejunijs frequentibus ſuſtentabatur, precibus aſſiduis oblectabatur. Quamquam eum etiam, vt Hi- *Miræus in faſtis 8. Maij.* bernos omnes, peregrinandi cupido invaſit, vt Principum Apoſtolorum ſepulchra ſuis lachrymis irrigaret, votis ſollicitaret. *Molan. ad eundem diē.* Sed ecce cupiditati eius moram Epiſcopi mors inijcit; nam ſucceſſor illi populi ſuffragio datus fuit, & vicerunt reluctantem multitudinis vota. Hac de cauſa tandem

dem cum Plechelmo & Othgero Romam abijt, vbi ſummi ſacrorum Principis manu in Epiſcopum eſt vnctus, moxque in Hiberniam reuerſus Antiſtitis munus ſummâ vitæ ſanctitate pietateque, non longo tamen tempore, ſuſtinuit. Quippe alia ipſum cupiditas perculit, Chriſti nimirum gloriam apud Gentes alias extendendi. In Galliam igitur Belgicam, & ad Pipinum tum Ducem ſe confert, qui cognitâ tanti viri ſanctitate primum illum inter ſuos coluit, & locum ad Ruram fluuium in Geldria, vt cœleſtium rerum contemplationi vacaret, attribuit. Is locus tunc Mons Sancti Petri, nunc Sanctæ Odiliæ nuncupatur; & erat eo tempore Ædes ibi cœlorum Reginæ ſacra. In eo ſanctiſſimus Wiro ita ſe probauit, vt omnibus amori eſſet & admirationi, nec aliud ſe in eo indigenæ intueri, quam veræ pietatis ſpeculum, arbitrabantur. Siquidem ſuſcepto adverſus ſeipſum certamine ieiunijs ſe macerabat, vigilijs conficiebat, continuis precibus pæne fatigabat. Nemo vitijs tam acre bellum vnquam indixit, ne ſcilicet ijs ſuccumberet. Interim nemo etiam erratorum veniam facilius indulgebat, modo vitia diſplicerent, & exuerentur. Nam erat iſta illius alta indoles, vt ſibi parcus, in alios benignus & profuſus eſſet;

ſemper tamen animo demiſſus, & ardens alienæ ſalutis amore. Hoc modo cum omnes, tum inprimis Pipinum Ducem ita in ſui admirationem rapuit, vt cum illum ſibi à ſacris confeſſionibus delegiſſet, nunquam animi ſui labes apud eum deponeret, quin pedibus ſuis calceos detraheret. Id honori perſonæ tributum. Amplius verò, frequenter eum inuiſebat, & arcanis conſilijs adhibebat, quod non dubitaret à ſanctioribus viris ſalubriora conſilia emanare. Enimverò eâ tempeſtate multi adhuc ijs in locis Idolorum cultui inhærebant, nonnullis ex eo vitia adhæreſcebant. Quapropter in vtroſque accingitur, Chriſtum apud illos vitæ authorem & ſeruatorem extollit, religionem ejus tanquam lucem extortam oſtendit, veteres errorum tenebras diſcutit; apud hos criminum fœditatem, purioris vitæ & virtutis pulchritudinem cum æterno præmio proponit. Nec fruſtrà. Breuiſſimo quippe tempore, Idololatriam profligauit, nec vitia amplius fuiſſent, ſi ſine vitijs homines eſſe poſſent. Extirpauit, quæ ab inſaniente religione erant; quæ à Chriſtiana fide virtutes, induxit. Prorſus ſalutem Geldriæ peperit, & religionis Catholicæ ſplendorem. Is eius vitæ ſanctitati & virtutibus debetur. Ad vltimam vſque ſenectutem laboravit, nec, niſi ſenio confectus,

Officiū Ruremundenſis Eccleſiæ.

Surius in eius vita.

Et alij, vt Lipello.

fectus, quieuit. Et quia emeritus, ad cœleſte præmium tandem vocatus eſt, corpus Vltraiectum primò accepit, inde, quod omnia Dani Nortmanniq́ue vaſtarent, ad S. Petri montem tranſlatum, vbi miraculis inclaruit. Sed & Vltraiectum & Ruræmunda ſibi partem reliquiarum vendicarunt, Wironemq́ue Patronum colunt.

Separari à Sancto Wirone *Plechelmus* non poteſt, pares ambo ſanctitate, pares laboribus. Et hic quidem virtutem primis annis altè imbibit, & exercuit. Nec dubium erat, quin eum ad hominum ſalutem cœleſte Numen deſtinaret. Vidit Romam cum Wirone, Apoſtolicâ manu ibidem conſecratus Antiſtes in Hibernia ſua Idololatriæ reliquias ſuſtulit; ac demum in Galliam ad Pipinum Ducem ſeſe contulit. Id Hibernis proprium tunc fuit, alienigenas Chriſti imperio aggregare. Fecit hoc Plechelmus, & in Galliæ finibus Euangelicæ veritatis lucem ſparſit, Idolorum fana deſtruxit, vero Deo templa exſtruxit, complures ad religionem, & per eam ad ſalutem adduxit. Recreabatur Pipinus tam felici laborum ejus ſucceſſu, & ſanctitatem admirabatur. Ideo ſanctiſſimum virum in Geldriam quoque miſit, & ad Diui Petri montem, vt paulatim ad quietem ſeſe componeret. Sed quietem neſcit ſanctitas,

S. Plechelm. 15. Iulij

Niræus & Molanus ad 15. Iulij

 creſcit

creſcit ſemper, & de alijs bene merendo proficit. Igitur quod alibi Plechelmus, fecit hoc in Geldria. Gentiles ſuperſtitiones & prioris æui errores multis in locis ſuſtulit; ne redirent, imbellem ætatem Chriſtianæ fidei rudimentis imbuit, adultos concionibus aſſiduis confirmauit. Nullus illi iucundior, quam hic labor, nec ab eo, quanquam extremæ ſenectutis, vnquam deſtitit. Fatigari pro hominum ſalute, ſanctis eſt recreari, & mori ita laborando exoptant. Hoc verò eſt ſtando mori. In hoc opere verè diuino vitam Plechelmus reliquit, & poſtquam plurimis cœlum oſtendit, ipſe ſubijt. Corpus eius Diui Petri, ſeu Sanctæ Odiliæ mons aſſeruit in Æde Deiparæ Sacrâ conditum. Caput tamen Oldenſalia, magnam reliquiarum partem Ruræmunda ſibi reſeruat. Vtrobique & in Odiliæ monte varia miracula Diuum Plechelmum teſtata ſunt.

Officiũ SS. Diœceſis Ruræmundanæ.

Addo tertium Wironi & Plechelmo S. *Othgerum*, cum illis enim & Romæ fuit, & in Odiliæ Monte ſanctitatis & doctrinæ radijs fulſit. Nec hoc tantum. Geldriam & vicina loca decurrit, vbique Chriſtum ore, Chriſtum opere oſtendit, virtute omnibus præluxit. Quantus amor, tantus labor. Nullam ſibi ipſe conuertendis ad Deum populis quietem indixit, donec æternam

S. Othgerus 10. Septembris.

cœleſte

cœleſte Numen dedit. Et quia de Ruræmundenſibus & Groninganis in Apoſtolico munere optimè meritus fuit, eum ipſi Diuinum Præconem ſuum appellant, & Patronum colunt. In eodem cum alijs Diui Petri Monte corpus depoſuit, & idcircò Vltraiectenſis Eccleſia meritorum memor illum veneratur. Glorioſus ſanè Mons iſte, in quo trias illa Sanctorum Hiberniæ, velut in alta Belgij ſpecula, cælum inter & terram conſiſtit, vt terræ cœlum conciliet. Sed dum inde etiam Hiberniam ſuam reſpicit, ne tu Geldria Hibernorum obliuiſcaris.

Miræus & Molanus ad 10. Septembris. *Antiqua legenda* Wion. *Menardus & alij.*

CAPVT IX.

De propagatione Fidei Chriſtianæ in Hollandia per Sanctum Ieronem.

NEc Batauiam, ſeu Hollandiam, carere meritis ſuis Hiberni voluerunt. Hanc enim ſuis quoque laboribus ad ſalutem excoluerunt, & in eâ latè Chriſtianam religionem diſſeminarunt. Imò etjam ſuo ſanguine irrigarunt. Vnus pro omnibus ſit, & fidem faciat Sanctiſſimus *Ieron.* Is in Scotiâ maiore (Hiberniam

S. Ieron 17. Auguſti. *Molan. ad 17. Auguſti.*

intelligo) ex illuſtri familia natus, parentum delitium, quod vnicus eſſet, ſicq; vltimum ſtirpis germen, habebatur. Nec deerant proinde blanditiæ illecebræque, quibus ad ſpem nobiliſſimæ domus, quaſi vinctus, tenebatur. Sed vno contemptu generoſus animus omnia perfregit, & ut Chriſto nouam Familiam aggregaret, propriam contempſit. Viros inprimis virtutum gloriâ claros totâ patriâ quæſiuit, & ad eos conuolans ita vitæ illorum veſtigijs inhæſit, ut virtutes cujuſque imitando in ſe exprimeret. Adeò breuiſſimò tempore inter Sanctos Sanctus euaſit. Tantùm æmulatio poteſt, quæ tum laudabilis, cùm ad virtutem eſt. Nemo felicius perfectionem vitæ aſſequitur, quam qui perfectos imitatur. Facilis & iucundus proficiendi modus eſt, quæ bene aguntur, videre & exprimere faciendo. Poſito hoc virtutum & ſanctitatis fundamento Preſbyteri dignitatem adiecit, ut cum Deo quotidie ſacrificium offerret, celeſte auxilium ſuis conatibus facilius adiungeret. In inferiorem Germaniam deinde profectus cis vltraque Rhenum campum ſibi delegit, in quo contra veteres Gentilis ſuperſtitionis errores excurreret. Eæ partes Friſiæ annumerabantur, nondum noto Hollandiæ nomine; nunc Batauiæ finibus

Wyon.

Menardus

bus continentur. Hic Ieronis virtus diuinis operibus ita illuxit, vt vitæ ante actæ plurimos puderet, & adhære illi, ſalus videretur. Doctrina tam illuſtres radios emiſit, vt errores detegerentur, & in omnium oculos Chriſtiana religio, tanquam vera ſalutis norma, incurreret. Concurſum proinde ad illum vndique, velut ad oraculum; ſed & ipſe ſe omnibus offerebat, adibat, inſtruebat, promiſſis lachrymiſque ſuauiter ad Chriſtum pelliciebat. Aureo eloquio trahebat, miraculoſis operibus cogebat. Peruicit tandem, & liberatam ab erroribus Batauiam, ut tota demum Chriſto ſeruiret, Chriſto adiunxit. Pertinacẽ obſtinatæ tum Gentis animum fregit Ieronis ſanctitas, dum cœlum ſalutem indulget. Quanquam vnum illi votum erat, ſanguine ſuo ſparſam in Batauia doctrinam irrigare, nec minus Martyrem ſe pro illa, quam Doctorem offerre. Factus eſt voti compos. Dani Nordmanniique ea tempeſtate in Chriſtianos detonabant, nec eos Ieron latuit. In vincula rapiunt, ad tribunal deinde protrahunt, flagris ſubijciunt, dilacerant. Nihil reliquæ, crudelitatis omittunt, ut mors longa, nec vna eſſet. Sed hæc producta per cruciatus mors Sanctiſſimo viro vita erat, nec iucundius vnquam vixit, quam

... e... lo apud Carthuſianos.

inter carnificum manus & tormenta. Quamdiu loqui potuit, tam diu docuit. Ne poſſet amplius, efferata impiorum rabies illi gladio caput abſtulit, in quo pænè ſolo vita reſtabat. Caput ſibi vendicat Nordwyka, Martyrij locus; corpus ſanctiſſimi Adalberti Monaſterium Egmondæ. Eo illud Theodoricus ſecundus per Antiſtitem Diœceſanum transferri curauit. Feſtum illi diem Batavi olim, & nunc Catholici, agunt, & ad recuperanda, quæ perdiderunt, eius opem non fruſtra implorant. Vtinam, quam Sanctiſſimus Ieron Hollandis doctrinam & religionem attulit, hodie retinerent. Excæcauit animos & peruicit Hæreſis, ſed nondum omnes. Viuunt etiam hodie apud Batauos Chriſtiani, qui quia in acceptâ ab Ierone religione conſtantes ſunt, multum ſe Hibernis debere confitentur.

Poterant in hanc Prouinciam plures induci, qui dum in excolendis Friſijs laborarunt, ad Batauos ſæpius excurrerunt. Sed de ijs mox dicemus.

CAPVT

CAPVT X.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Friſia, & iterum Hollandia, Vltraiectenſi Ditione, viciniſque, per Sanctos VVillebrordum *& ſocios*, Switbertũ, Accam, VVigbertum, VVerenfridũ, Marcellinum, Adelbertũ, VVilleicum, &c.

PRoducendus hic in Belgium Willibrordus, producendi eius ſocij, nec vna eorum ardori conatuiq́ue prouincia ſufficit. In Friſiam Chriſti nomen cultumq́; intulerunt, Batauis, Tranſiſilanis, Vltraiectenſibus, Geldris annuntiarunt. Anguſta nimirum vna tantis Heroibus regio fuit; & ut Sol in meridie maximam terrarum orbis partem, ita ipſi Chriſtianæ religionis radijs plures prouincias illuſtrarunt. Seruandus ordo tamen, etſi vix argumentum patiatur, & ſigillatim procedendum. *S. VVillebrordus*

Atque inprimis *VVillebrordus* in Anglia ex Anglo-Saxonibus natus, religioſâ ibidem *7. Nouembris.*

ibidem veſte in Ripenſi Monaſterio ſumptâ, vt in Chriſtiana perfectione, ſublimioribuſque diuinarum rerum ſtudijs proficeret, in Hiberniam contendit. Inuitabat Eyberti ac Wicberti virorum ſanctiſſimorum fama, quos vel videre audireque tantum, proficere erat. Apud hos duodecim commoratus annos quicquid arcanæ virtutis, imbibit; quicquid ſolidioris & plus quam humanæ eruditionis, hauſit. Adeò vt viueret, ab Anglis; vt ſanctitate doctrinaque excelleret, ab Hibernis accepit; Anglus origine, ſacro ſtudio Hibernus. Iactat nec immeritò Anglia ſuum Willibrordum, ſed & Hibernia iure in eo gloriatur; vtramque ipſe decorauit, & ſuæ gloriæ participem fecit. Sed latere, aut ſibi duntaxat viuere tantus vir non poterat. Igitur cùm intellexiſſet in Friſiorum Batauorumque partibus bene rem pro Chriſto geri poſſe; ſed qui gererent, deeſſe, miſſione à Sancto Eyberto obtentâ cum ſocijs aliquot partim Hibernis, partim Anglis ad eam Rheni oram ſeceſſit, quæ Batavos non longo interuallo Friſijs coniungit. Ac primò Traiectum ad Rhenum appulit anno partæ ſalutis ſupra ſexcenteſimum nonageſimo, vbi cum Idolorum fana dirueret, ac Chriſti Euangelium Barbaris proponeret, quia obſtinatæ mentis & duræ ceruicis

Molan. ad 7. Nouẽb.

Ioan. de Beka in chronico Epiſc. Traiectenſiũ.

ceruicis erant, exiguus primum iſtum laborem fructus eſt ſecutus. Nec paruus à Radbodo Friſiorum Rege, in cuius poteſtate tum Traiectum fuit, metus erat. Atrox quippe & peruicaci in Chriſtianos odio furebat. Quare ad Pipinum Heriſtallum, Principem verè egregium & religionis amantiſſimum, cum ſuis divertit. Enimverò poſtquam Traiecto Friſiaque Radbodum Pipinus exuit, eodem Willibrordum cum mandato remiſit. Iubebat autem Principes, ne quis illi aut eius ſocijs moleſtiam vel impedimentum inferret, quo minus ſacrâ legatione fungeretur, & Chriſti legem publicaret. Nec mora ceſſerunt paulatim Idolorum cultores, & Chriſti iugo colla ſubmiſere. Ingens in dies multitudo nouæ Eccleſiæ aggregabatur. Proſtabat publicè ſacrum lauacrum, ad quod, vt luſtralis aquæ perfuſione expiarentur, confertim vndequaque accurrebatur. Templa diuino Numini erigebantur, Diuis honores præſtabantur, ſacrificia Romano ritu exoluebantur. Iam tota propemodum in Chriſti partes Willibrordi & ſociorum induſtriâ Friſia conceſſerat, & de Antiſtitibus conſtituendis agebatur. Author fuit Dux Pipinus, vt Romam vir ſanctus proficiſceretur, quo cum peruenißet, à Sergio Pontifice per Angelum iam

ante

ante de aduentu eius admonito benigniſſimè excipitur, & in Friſiorum Archiepiſcopum inungitur eâ lege, vt cum Friſijs Tranſiſelani, Traiectenſes, Hollandi, Zelandi, Geldri ſacris eius imperijs parerent. Ita vni illi plurium ſimul commiſſa Regionum ſalus. Nec impar ipſe oneri, quod vbi in Friſiam reuerſus ſuſcepit,& Archiepiſcopatus ſedem Traiecti conſtituit, mutata demum patriæ vniuerſæ facies fuit. Quippe vrbes, vici, caſtella Chriſtianam religionem amplectebantur, nec ferè quiſquam erat, qui Willibrordi legem non audiret. Solus Radbodus tyrannus & fidem & ſacri fontis aquam reſpuit peſſimo fato poſtea functus. At Pipinus eiuſque filius Carolus Martellus tot viri ſanctiſſimi meritis permoti, Traiectenſi Eccleſiæ vrbem ipſam Traiectenſem cum Ditione valituris in perpetuum tabulis conſignarunt. Alia deinde acceſsêre oppida. Nec illuſtris quiſquam aut opulentus, qui non ſuæ munificentiæ pignus apud eum conſtitueret. Apud Zelandos cum latè religionis fines potenti eloquio extendiſſet, ex populi largitione incredibili delubra paſſim excitauit, veroque Numini dicauit. Ceſſit ſuperſtitio & Idolorum cultus. Vnum forte Weſtcapellæ, atque illud Herculis, vt putant,dum confringit,ęgre ferens fani cuſtos

Wilhelmus Heda in Epiſ. Traiectenſib.

gladium

gladium capiti eius librato ictu impingit, nec lædit, vt hoc miraculo quæ reſtabat feritas barbarieſque miteſceret. Peragrabat ipſe vicinas circumquaque regiones, & quaſi Sol quidam nouo lumine cunctas illuſtrabat. Audierunt illum Brabantia, Flandria, Cliuia, Geldria; imò Treuiros vſque & ad Luxemburgenſem prouinciam excurrit. Iſtis omnibus in locis quâ valebat cœleſti facundiâ Chriſti religionem propagando plurimos à priſca ſuperſtitione ad veritatis Chriſtianæ lucem adduxit. Omnium Apoſtolus erat Willibrordus, omnibus vitæ exemplar, virtutum ſpeculum, ſapientiæ ſacrarium, zelo plenus, naturâ mitis, vt non immeritò illi Clementis nomen Sergius Pontifex addiderit. Ne vllâ in parte religio detrimentum pateretur aut paulatim deficeret, ſingulas Diœceſis ſuæ regiones ſocijs ac diſcipulis diſtribuit. Ea cura & vltima ſeni fuit, qui poſtquam annos circiter quadraginta Traiectenſem Eccleſiam gubarnauit, meritis & laude plenus, relicto in terris corpore, quod Epternacum ſibi vendicat, Diuorum ordinibus adſcriptus eſt anno ſeptingenteſimo trigeſimo ſexto. Debent ſingulæ Belgij Prouinciæ magnam ſalutis ſuę partem alijs ſanctiſſimis ex Hibernia viris, at vniverſæ propemodum ſoli Willibrordo non minus

Miracul aliaque.

debent;

debent; vt vel idcircò propter hunc vnum Anglis & Hibernis hoc tempore obligentur.

Tranſeo nunc ad Willibrordi ſocios, quorum primum iure Sanctum *Switbertum* nomino. Is enim Epiſcopali dignitate auctus in auxilium Willibrordi Archiepiſcopi adſcitus eſt. Quam præclarè de Batauis Friſijſque meritus ſit, teſtantur ij populi, qui ab eo Chriſti nomen & religionem acceperunt. Sacerdotali honore tantum conſpicuus, Duerſtadenſes Hagenſtenenſeſque depulſis maiorum erroribus Chriſtianæ Eccleſiæ aggregauit. Vbi Inſulam accepit, Teiſterbandiæ Ditionem, totam ferè Batuam, magnam inferioris Friſiæ partem diuino eloquio ſuo ad Chriſtum adduxit. Apud Traiectenſes Chriſtianorum numerum mirum in modum auxit. Iſta porrò Friſiæ inferioris pars, quid aliud hodie, quam Alcmaria, Waterlandiaque? quid Batua, niſi quæ nunc quoque Batua, vel Betua, vel, ſi mauis, Batauia? Quid Teiſterbandia, niſi Hollandiæ Geldriæque ea pars, quæ ditionem Hueſdenſem, Inſulam Bommelenſem ac Tilenſem complectitur? In his oris vix vrbs vlla, aut vicus, in quo ſupremo Numini non aliquod delubrum excitarit. Longum eſſet ſigillatim recenſere. Ea omnium confeſſio eſt, Switbertum

S. Switbertus 1. Martij.

Marcellinus in vita eius cap. 13.

Molan. 1. Martij.

Teiſten-

Teiſtenbandiæ Apoſtolum fuiſſe. Neque illi ſatis fuit tot populos Chriſto pepetiſſe in terris, niſi etiam cœlo pareret. Idcircò ut ad eorum tutelam ſecuritatemque excubaret, aſſiduas ad eum preces pro ijs fundebat, diurnis nocturniſque exhortationibus in ſuſcepta religione confirmabat, Ecclesiæ Sacramentis corroborabat. Verbo vno, patrem omnium agebat, & pro terrâ cœlum oſtendebat. Hoc demum eſt in hominum ſalutem incumbere. Imò hoc eſt Chriſtianos Principes verè ſibi deuincere, dum aliud cupere nihil debent, quam religionis ſuę incrementum,& populorum ſibi cõmiſſorum ſalutem. Vnde tantorum meritorum gnarus Pippinus præter theſauros ingentes Switberto Werdam ad Rheni ripam inſigni liberalitate donauit, vbi ille Monaſterio exſtructo agmen quaſi quoddam Sanctiſſimorum hominum collegit, ac tandem ſuum ibidem corpus, vt in cœlos euolaret, depoſuit. Quamdiu vixit, præter morbos alios, ſolo attactu, aut fauſtâ apprecatione, anginam curabat; vbi inter mortales eſſe deſijt, plurimis ad ſepulchrum ſuum abiectis, ſi cœci eſſent, viſum; ſi claudi, greſſum; ſi febre correpti, incolumitatem, reſtituit. Adeò & viuus & mortuus ſemper profuit.

Surius in eius vita.

De Beato *Acca* quid dicam? Venerat

S. Acca 20. Nouemb.

E & ille

& ille cum Willibrordo ex Hibernia, vbi cum ſacris litteris Sanctitatem hauſerat. Quinquennium circiter apud Friſios commoratus in id aſſiduo labore incubuit, vt Chriſti doctrinam Barbarorum mentibus imprimeret. Impreſſit ſanè & plurimos naſcenti tum ijs in partibus Eccleſiæ aggregauit. Verum cùm datus eſſet Switberto ſocius, cum eo in Angliam reuerſus, ibidem retentus fuit, nec deinceps Belgium vidit, de Friſijs tamen optimè meritus.

Molan. ad 30. Nouemb. Miræus Martyrologiũ Anglicarum.

At verò Sanctus *Wigbertus* & Friſios docuit, & traditam ijs doctrinam ſuo ſanguine irrigauit. Multis annis anachoreticam in Hibernia vitam cum ſummæ ſanctitatis opinione duxerat, ſed & alijs viuere etiam voluit. Ac velut ex Hibernia Gentium Barbararum ſalus oriretur, inde in Friſiam traiecto mari contendit, vbi cum Radbodo Regi alijſque Chriſti legem denuntiaſſet, nec magnus ex toto labore fructus exſurgeret, Hiberniam repetijt. Mox tamen ab Egberto remiſſus Willibrordo in ſocietatem nobiliſſimæ expeditionis adiunctus eſt. Tum demum Barbarorum mentes peruicit, qui depoſitâ feritate ſuperſtitioneque Chriſtianam religionem amplectentes Iouis & Foſtæ delubra ſubruerunt. Adeò commutare vitam ſatis non erat, niſi etiam falſorum ſimulachra

S. Wigbertus 13. Augusti.

Molan. ad 19. Auguſt.

chra

chra Deorum euerterent, vni veroque Numini Chriſto adhærentes. Id autem iniquo animo ferens Radbodus Rex, cùm nequaquam dubitaret iſtud Wigberti conſilio factum, Sanctiſſimum virum in vincula abreptum duriſſimis poſtea tormentis excruciauit. Vidit hanc mortem & ingemuit Foſtelandia in Friſiorum & Danorum confinio Inſula. Macte Wigberte, viciſti impietatem tuâ pietate, profligaſti errorem tuâ doctrinâ, de tyranno tuâ conſtantiâ triumphaſti. *In vita S. Swithberti.* *Alcuinus aliique.*

Digniſſimus quoque Sancti Willibrordi ſocietate *VVerenfridus* cum eodem ex Hibernia Traiectum appulit, & eius imperio Durenſtadij viciniſque locis Euangelij legem promulgauit. Cùm autem idem Willibrordus Inſulam Batauiam, & in ea Elſtam potiſſimum illi commendaſſet, hanc ſibi ſummo labore excolendam ſumpſit. Nihil illo ſanctius, nemo facundior. Idcircò ingens quamprimū multitudo Chriſto nomen dedit, & Eccleſiæ adiuncta Batauia eſt. Tantum potuit Werenfridi ſanctitas, quæ miraculis clara, etiam dum viueret, Barbarorum animos percellebat prorſuſque commutabat. Elſtæ tandem, Nouiomagum inter & Arnhemum, è viuis excedens corpus depoſuit, apud quod qui articulari morbo vexantur, medicinam & *S. Werenfridus 14. Augusti* *Molan. ad 14. Augusti* *Surius, Lipeloo alij.*

ſanitatem inveniunt. Vtinam etiam errorum tenebras, qui ab eius doctrina receſſerunt, hic deponerent.

S. Marcellinus 14. Augusti. Age verò, Diue *Marcelline*, tuæ quoque hic partes ſunt, nec exiguæ. Apud Friſios & Batauos impiger Chriſti præco extitiſti. Teſtes ſunt Tranſiſelani, Dauentrienſes, Oudenſelenſes, & quicunque vicini. Omnem hunc populum Chriſto aſſeruiſti, ut tibi cœlum ipſe deberet. De tuo labore cui dubium eſſet? Septuaginta annis, & quod excurrit, Friſijs & circumiacentibus populis Euangelij legem denunciaſti, maior *Molan. 14. Iulij* tamen meritis, quam annis. Tibi ceſſit vetus ſuperſtitio, & quocunque iuiſti, Chriſtianam tecum religionem traxiſti ſtabiliuiſtique. Debent hoc tuæ ſanctitati gentes iſtæ, quod Chriſtum nouerint; debent tuis laboribus, quod ſalutis viam ſint ingreſſæ. Cogitabas vltimæ ætati quietem apud Traiectenſes inuenire, ſed cum nonnulli malè Deo parti ad abiectas ante tenebras redirent, maluiſti laboribus te reddere, quam illos perdere, & labores quieti tuæ præferre. Redijſti ad labores, & dubios confirmaſti, ne perirent. Parum exiſtimaſti viam ad cœlum oſtendiſſe, niſi tenerent, *Miræus* & tuis veſtigijs inſiſterent. Adeò bonorum Paſtorum cura nunquam laſſatur, nec illi *Menard* ſeminaſſe ſe putant, niſi metant. Subſidia

infir-

infirmæ ætati, Ouonem, Adalgerum, Gerardum, collegas tuos, adhibuiſti. Nimirum in eorum ſocietate Willibrordum magiſtrum diſcipulus es imitatus. Sed & tua ſanctitas, cum alias ſæpè tum ad Traiecti portas ſeſe prodidit, cum leproſis duobus, currum fortè conſcendens, pro ſtipe ſanitatem indulſiſti. Agebas demum apud Oudenſelenſes humanam ætatem propemodum excedẽs, cum mors dierum curſum inhibuit, non gloriæ. Vita quippe mortalis erat, gloria immortalis. Sed mortuum habere Dauentria deſiderauit, & habuit. Tene ſacrum pignus, Dauentria, & aliquando lucem, quam tibi attulit, intuere. *Wyon aliÿque.*

Secutus etiam eſt Willibrordum *Adelbertus*, tanto Præſule digniſſimus Leuita. Erat Deirorum Regis filius, Gente clarus, Aulæ & ſplendoris humani contemptu clarior. Omnes in eo ad homines conciliandos Naturæ dotes, comitas, affabilitas, humanitas, elegantia ſermonis, morum ſuauitas. Sed admirabilis vitæ ſanctitas ſimul eluceſcebat, & rerum ſacrarum peritia; nec prius agendum quicquam præcipiebat, quam opere expreſſiſſet. Imò affici ſe detrimento exiſtimabat, ſi quod verbo docebat, exemplo non confirmaret. Ipſi in opere doctrina erat, quæ alijs in ſermo- *S. Adelbertus 25. Iunÿ* *Molan. 25. Iunÿ*

ne, ac proinde maior fructus. Quippe verba erudiunt, exempla trahunt & impellunt; ſicque facilius opus perſuadet, quam lingua. Quis miretur tot illum & tam promptos ſui imitatores inter Barbaras Gentes habuiſſe? Iſtis moribus, & ſanctiſſimâ vitâ alliciebat, nec quiſquam de eius charitate dubitabat, quem ob hominum ſalutem regale patrimonium contempſiſſe, patriam, parentes, cognatorum & amicorum ſuauiſſimam conſuetudinem reliquiſſe videbat. Obſtupeſcebant autem omnes incredibilem in eo animi ſubmiſſionem, cuius induſtriâ cautioneque bona omnia conſeruari aſſerebat. Ac talis tantuſque cum eſſet verè diuinus Heros, quocunque ſe per Bataui& Friſiæque partes conuertebat, ſanctitate morum & eloquio homines ad Christum adducebat, ac velut radijs quibuſdam, errorum tenebras, quibus inuoluebantur, diſſipabat. Subſtitit autem potiſſimum Egmundæ in Kenemaria, quo tamen etiam plurimi famæ virtutum eius allecti, quotidie ad eum confluebant. Inter eos Eggo quidam, vir probus, in eius familiaritatem ita ſe inſinuauit, vt illius hoſpitio frequenter & menſâ Adelbertus vteretur. Nec aliud inter eos, quam diuinis de rebus colloquium. Ac ſemel quidem cum inter cænandum vir ſanctus ſui in patriam

Surius, Lipeloo. Hiſtor. Swiberti.

triam reditus mentionem feciſſet, ille verò ſubito mœrore pæne deficeret, Tum, inquit, me reducem videbis, cum huius pomi grana in virgulta excreuerint. Ita dixit, & pomum, quod manu tenebat, in ignem abiecit, moxque in patriam ſeceſſit. Mira omnino res. Quippe aliquanto poſt tempore ædibus illis incendio abſumptis cum eodem in loco virgulta excreuiſſent floruiſſentque, adfuit iterum Adelbertus non minori omnium admiratione propter miraculum, quam gaudio propter optatiſſimum reditum. Plura eiuſmodi edidit ſtupenda opera, quæ ſanctitatis eius famam longè lateque diffundebant. Eapropter primus ad Archidiaconatum Traiectenſem euectus, in eo munere ita ſe præclarè geſſit, vt illius Eccleſiæ ſummum eſſet ornamentum, & plures quotidie ad Chriſtum conuerteret. Tandem verò quamplurimis miraculis clarus ad Diuos Diuus ipſe migrauit. Eius corpori ſepulchrum Egmunda dedit, & in illius honorem Theodoricus iunior Hollādiæ Comes Monaſterium ibidem ordinis S. Benedicti in Harlemenſi Diœceſi conſtruxit. Veſter iſte patronus eſt, ô Bataui, atque vtinam quem veſtri Comites coluerunt, poſteri amarent & imitarentur.

Chronic Bataui æ

Roſwed. Menard. alij.

Superſederem hic, niſi piaculum eſſet de Sancto *VVilleico* in ſocietate Willibrordiana tacere. Hic eſt ille Euangelicus Sacerdos, qui S. Switberto perpetuò adhæſit, inter primos Traiectenſis Eccleſiæ Canonicos numeratus. Ore facundiſſimus fuit, moribus manſuetiſſimus; & vt gloriæ contemptor, ita omnis auaritiæ victor glorioſus. Pauper ipſe pauperes ſemper amauit, infirmis, quam potuit opem, & conſolationem attulit. Vnum illi in vita certamen aſſiduum aduerſus Idololatras, nec vnquam niſi victor receſſit. Victoriam omnem Chriſto adſcripſit, & quos vicerat in inferioris Germaniæ Prouincijs, naſcenti in iiſdem Eccleſiæ aggregauit. Dignus tandem viſus, qui werdenſi Monaſterio ſub Switberto præeſſet, vbi poſt annos decem terram cum cœlo commutauit, laborem cum æterna quiete, vitam cum immorlitate.

S. Willeicus 2. Martij. *Molan. ad 2. Martij.* *Miræus* *Martyrologiũ Anglicanum aliique.*

Cæteros Willibrordi ſocios aliæ ſibi vendicant prouinciæ, quas ſi attingeremus, extra propoſiti noſtri limites excurreremus. Metam in Prouincijs Belgicis figo, & calamum, ſi modo de Luxemburgenſi Ditione adhuc dixero.

CAPVT

CAPVT XI.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Prouincia Luxemburgenſi per San-ctos VVillibrordum, Mononem, VVendelinum.

CVm aliæ Belgij prouinciæ, tum Luxemburgenſis quoque Ducatus obligatum ſe Hibernicæ genti fatetur. Ab ea enim eos accepit, qui ſuperſtitionum antiquarum tenebras diſcuſſerunt, & nouam religionis Chriſtianæ lucem, non omnibus antea cognitam, induxerunt. Longiſſimo ſanè tempore huius prouinciæ populus in errorum caligine deliteſcens falſorū Deorum cultui inſeruiuit, naturâ mitis, moribus facilis, religionis tenax; ſed ubi Chriſtiana veritas illuxit, nulla gens auidius arripuit, nulla propemodum diutius retinuit. Hodie nullæ ſectæ Hęreticæ addictus acceptam à maioribus fidem conſtantiſſimè tuetur; imò nec aliam nouit, & piaculum eſt mentionem feciſſe. Adeò tota Chriſto gens adhæret, & vnicam Romanæ Eccleſiæ legem recipit, morum regulam, vitæ magiſtram. Sed agnoſcamus acceptæ fidei

præcones, vt tantum beneficium gratis erga Hibernos animis compenſemus.

At verò producendus mihi rurſum *VVillibrordus* eſt, non minus ad huius prouinciæ, quàm aliarum ſalutem, natus. Is cum Vltraiectenſem in Batauia Eccleſiam fundaſſet Archiepiſcopali dignitate illuſtris, ſæpius Treuiros vſque & Luxemburgum excurrit. Tantus erat alienæ ſalutis ardor; vnde prouinciam hanc quoq; excolendam ſibi ſumpſit. Et verè is laboris eius fructus extitit, vt magnum omninò populum ſacris concionibus ſuis Christo acquiſiuerit. Tantæ perſonæ Dignitas animos eo in negotio attonitos reddebat, ſanctitas permouebat, multa vis dicendi attrahebat. Et quoniam curare Eccleſiam ſuam vtique debebat, ſeminarium religionis Catholicæ in eadem prouincia inſtituit, Monaſterium nimirum ordinis Sancti Benedicti, quod ipſe Epternaci liberalitate Caroli Marcelli, & Irminæ Dagoberti Galliarum Regis filiæ, exſtruxit, primuſque Abbas rexit. Quippe hic conſtituti ab eo religioſi in omnem partem nouæ religioni conſulebant & accedentes ad Eccleſiam populos confirmabant. Ipſe Sanctiſſimus Archiepiſcopus & Abbas eodem in loco ſepulchrum ſibi legit, nec minus hodie poſt mortem, quã in vitâ, miraculis claret. Sentiunt, qui in lan-

Willibrordus 7. Nouembris.

In hiſt. Luxemburg. 1. Bertelij.

langoribus morbiſque ſuis eius opem, nec fruſtra, implorant. Ita ſummi viri annitente cœlo ſanctitas probatur.

Vendicat ſibi quoque Sanctum *Mononem* Ditio Luxemburgenſis. Is ex Hibernia, ſeu Scotia maiore, oriundus, cum in Patrio ſolo cœleſtem potius, quam humanam, vitam duceret, ab Angelo, vt in Arduennam contenderet, admonetur. Paret vir Sanctiſſimus Angelico imperio, traiectoq; mari paucos poſt dies Arduennam ingreditur. Eâ tempeſtate viri ſummâ Sanctitate celeberrimi Remaclus & Ioannes Agnus, de Eccleſia Chriſtiana optimè meriti, viuebant. In horum diſciplinam Mono tranſit, & vt ſanctior euaderet, ſanctorum iſtorum diſcipulus fit. Adeò nunquam ſe ſatis profeciſſe viri Sancti exiſtimant, niſi alios imitati eorum in ſe virtutes exprimant. Et ſanè magna vis eſt in acquirendâ perfectione Chriſtianâ imitationis, quæ & diſcendi & faciendi modum ſimul oſtendit. Igitur poſtquam ſub tantis magiſtris creuit aliquamdiu, in mediam Arduennam ſe coniecit, & quanquam propriæ in primis, tum verò etiam aliorum ſaluti inuigilare continuo labore cœpit. Rudiores ſuauitate quadam ſermonis ad Chriſtum alliciebat, Chriſtianæ religionis rudimenta quædam tradebat, & vitæ inſtituendæ normam

S. Mono 18. Octob.

normam

Molan. normam præſcribebat. Nemo blandius
18. virtutis amorem inſtillabat; nemo ſuauius
Octob. ab errore & priſcâ ſuperſtitione abducebat.
Ex hiſt. Vt erat altâ indole, ita manſuetiſſimus.
manu Quam ob cauſam vltrò frequentes illum
ſcripta. incolæ adibant, nec vnquam ſine fructu aliquo redibant. Aut enim ad Chriſtum eos adducebat depoſitâ ſuperſtitione, aut virtutis alicuius præceptis perfectiores remittebat. Omnes verò exemplo ſuo ad cœleſtem gloriam accendebat. Vir omninò cœlo digniſſimus, quod tamen non niſi Martyrij palmâ inſignis ſubijt. Quippe à Sicarijs quibuſdam, qui vias infeſtabant, in ſylua deprehenſus, eorum ferro, gratiſſima Chriſto victima confoſſus occubuit,
Surius, nec aliam ob cauſam, quam quod Chriſtia-
Lippelo, nus eſſet & Chriſtianos efficeret. Conditde-
aliijque. rat ipſe Naſſoniæ in Ditione Abbatis Monaſterij Sancti Huberti templum unum; in hoc pijſſimi homines cadauer eius detulerunt ſepelieruntq́; Vnde hoc tempore tum Arduenna vniuerſa, tum Naſſonia potiſſimum in glorioſo hoc Martyre Patrono ſuo gloriatur. Certè Pipinus Rex in honorem D. Mononis Clericis Naſſonienſibus, qui hodie Canonicorũ Collegium conſtituunt,
Wende- agrorum decimas Letiam inter & Vrcam
linus 20 iuris tum ſui regiâ liberalitate donauit.
Octob. Addamus Sanctum quoque *VVendelinum,*

num, quem Scotia ſeu Hibernia regio ſanguine natum dedit, Luxemburgenſis & Treuirenſis Ditiones exceperunt. Ardebat ſolitariæ vitæ amore, qui in Aula natus erat, & vt Deo liberius ſeruiret, procul eſſe ab hominibus optabat. Igitur Hiberniam ſuam peregrinâ indutus veſte deſerit, Aulæ, honoribus, diuitijs valedicit, ſatis diues, ſi in terris pauper, cœlum aliquando poſſideret. In Germaniam tandem pertingit, & non procul à Treuiris ad Weſtricenſem oram penetrat. Ea regio quaqua verſus cis vltraque Moſellam fluuium ſyluis horrebat, in qua tum vir quidam nobilis, ſed latrocinijs rapiniſque famoſus, domicilium habebat. In hunc Wendelinus Deo iter dirigente caſu incidit, ſed benigniſſimum reperit, & humaniſſimum. Quippe ab eo in caſtellum inductus largè reficitur, cumque retinere ille virum ſanctum, in quo ſummam animi ſubmiſſionem cum prudenti ſimplicitate animaduertebat, deſideraret, pecoribus alendis cuſtodiendiſque præficit, nec inuitum. Accipit conditionem Wendelinus, & è regio filio fit bubulcus, pecora ſibi commiſſa quotidie in paſcua, in ſyluas, in montes deducit ſtatâque harâ domum reducit. Ita inter beſtias verſabatur, & aſſiduè cum Deo agebat; cumque illæ paſcerentur,

Ex vitæ eius iampridem Baſileæ impreſſa.

Item ex officio in eius honorem compoſito.

rentur, ipſe animum ſuum diuinis contemplationibus paſcebat, iuxtaque armentum ſuum in genua procumbens cœleſte Numen exorabat. Quod mirabatur potiſſimum vir iſte nobilis, cum nonnumquam ad milliaria ſeptem aut plura pecora ſua abduxiſſet, noctem tamen præueniebat ſemper, temporeque conſtituto aderat. Imò creſcebat in dies pecorum numerus, & gemellis quotannis fœtibus augebatur, adeoque & nobilis iſtius diuitiæ. Quo perpetuò quaſi miraculo vehementer attonitus pecorum cuſtodiâ Wendelinum abſoluit, & vt eum velle intelligebat, domum mediâ in ſyluâ non procul ab arce ſua ac iuxta Monaſterium quoddam, cui Tulle nomen, illi ædificauit. In hanc vir ſanctus relictis pecoribus migrat, ibique aliquot annos diuino ſeruitio ita impendit, vt ſæpe eius conſortio Angeli, adeoque ipſe Chriſtus, delectarentur, deque victu illi prouiderent. Hi erant eius ſocij, hi familiares, neque vllum cum hominibus tunc negotium, ſed continuum cum Deo colloquium. Domicilium iſtud verè illi Palatium erat, in quo non cum Rege patre, ſed cum Creatore Deo hominibus iam maior factus agebat. Contigit verò, vt non multum poſt tempus vicini Monaſterij Abbas moreretur, cum Religioſi de ſucceſſore eligendo

gendo inter ſe conſultarent, diuinitus cla-râ voce admonentur, vt ſibi Wendelinum Paſtorem præficiant. Parent diuinæ voci, Wendelinum accerſunt, patrem & rectorem accipiunt. Nec ille cœleſti fato reluctatur. In eo autem munere, religioſam diſciplinam reſtaurat, ac ſanctam domum Sanctus ipſe efficit. Prima illi ſuorum cura, ſed alienæ quoque ſalutis ſtudioſus, per ſe ſuoſque in omnium vitam, induſtriam, vigilantiamque extendebat. Multi proinde & ab erroribus ſuperſtitionibuſque, & à vitijs ad frugem meliorem reuocati. Quanquam & ipſum quoque mors intercepit, quem cum magno cum honore, nec impari luctu, Religioſi ſepeliuiſſent, poſtridie cadauer extra terram reperiunt. Herebat omnium admiratio cum ſtupore; ſed omnibus viſum, alibi ipſi ſepulchrum deberi. Iungunt ergò boues, currui ſacrum cadauer imponunt, quod illi nullo cogente in eum montem deuehunt, in quo cum adhuc pecorum cuſtos eſſet, frequenter illi Chriſtus apparuerat. Hoc in monte deponitur, ſepelitur, & in eius honorem elegans omninò templum exſtruitur; cumque eò frequens populus quotidie propter miracula, quæ patrabantur, afflueret, exſtitit breuiſſimo tempore ciuitas & numero ciuium, & exterorum concurſu celeberrima.

Ea

Ea in finibus Prouinciæ Luxemburgenſis & in ipſo Treuirenſi Archiepiſcopatu ſita eſt, hodieque miraculis claret, Wendelinumque patronum ſuum die vigeſimâ Octobris colit, & Hibernis obligatam ſe fatetur.

CAPVT XII.

De Sanctis Vincentio & VValdetrude coniugibus, eorumque filijs & filiabus Landrico, Dentelmo, Aldetrude, Madelberta.

S. Vincentius 14. Iulij

HActenus Apoſtolicos ex Hibernia viros dedimus. Quid ni etiam Beatum Vincentium producamus? Omnium vna confeſſio eſt, ſtrenuos Euangelij præcones ex Hibernia in Belgium ab eo adductos, Foillanum, Furſeum, Vltanum, Eloquium, Ettonem, Adalgiſum, alioſque. Nec merito ſuo tantum hoc opus caret, & iſtorum gloria ſuis radijs hunc illuſtrat. De origine patriaque eius concertatio eſt, & adhuc contendunt Scriptores. Molanus inter Palatinos Dagoberti Francorum Regis eum accenſet, & Hiberniæ quondam Gubernatorem aſſerit. Quod ſi verò Hibernia nec Francorum, nec vllum externum

Molan. in Natalibus SS. Belgij 14. Iulij.

impe-

imperium vnquam eſt paſſa, certè nec ex Francia Pręfectum accepit. Id autem omninò certum, ſi duodecim primorum à Chriſto ſæculorum memoriam repetamus. Iterum alij Francum volunt, ſed in Hiberniam cum Dagoberto Sigeberti Regis filio à Grimoaldo Prætorij Præfecto ſeu Maiore domus relegatum, inde viros Apoſtolicos poſtea ſecum adduxiſſe. Nulla ergò illi apud Hibernos præfecturæ authoritas, aqud quos exulabat. Nicolaus Guyſius ex Iacobo Guyſio Gaſconem illum, patre Malgero, matre Ouugneta natum affirmat, & Hiberniæ Clientelarem Præfectum. Sed hæc præfectura fidem detrahit. Vero propius accedunt, qui natione Hibernum ſcribunt Guicciardinus, Denterus, alijque. Quanquam de origine nationeque ne controuerſia ſit, Apoſtolicos viros Belgio ex Hibernia ſuppeditaſſe, quod nobis eſt ſatis, omnes confitentur.

Alia opinio.

Veriſimilior Guicciardini & aliorum.

Porrò Vincentio, qui anteą Maldegarius dictus, vxor fuit Waldetrudis Walberti quarti Hannonię Comitis ex Bertilia coniugé filia, ex qua filios duos Landricum & Dentelinum, duas itidem filias, Aldetrudem & Maldebertam, ſuſcepit. Poſtea vitam coniugalem multis annis pudicè admodum egerunt ac tandem, vt rebus omnibus amore religionis ſeſe abdi-

carent, diuino planè conſilio conſtituerunt.

Et inprimis Maldegarius authore Auberto Epiſcopo militare cingulum depoſuit, & ad religioſum diuinæ Maieſtatis cultum ſeſe voto adſtrinxit, veſtemq; commutauit. Locum ad Sambram elegit, cui nomen Mons altus, ibique constructo Monaſterio, vt Deo vacaret, in illud ſeſe abdidit. Tanta verò eius ſanctitatis fama fuit, vt ad eum religioſæ diſciplinæ ſtudioſiſſimi viri certatim quam plurimi confluxerint, nec minus, quam trecenti, eius vitæ normam ſint amplexi. Hic demum Vincentij nomen illi inditum. Sonegienſe inde cœnobium exſtruxit, quod in Canonicorum poſtea Collegium eſt commutatum, in quo & ipſe vitam cum morte commutauit, ac ſepulchrum eſt ſortitus, vir verè Sanctus, Diuis annumerandus, & mundi victor.

Petrus Cameracenſis Epiſcop. in Diplomate anno 1323.

S. Waldetrudis 9. April.

VValdetrudis mariti exemplum ſecuta, accepto ab Auberto Sanctiſſimo Antiſtite velamine religioſo Monaſterium quoque in monte, cui Caſtri-locus nomen, ædificauit, in eoque vitæ ſuæ rationes ad ſeueriorem diſciplinam compoſuit. Ea hodie domus eiuſdem Sanctæ Waldetrudis templum eſt Montibus, primaria Hannoniæ vrbe. Et quidem Nobilium Virginum

Molan. ad 9. Aprilis, aliique

Col-

Collegium, cuius perpetuò Præfectus Hannoniæ Comes eſt. De vitæ eius ſanctitate nihil attinet dicere, eam patrata ad ſepulchrum miracula iam inde à morte eius teſtata ſunt.

Non potuerunt non eſſe Patri ſimiles filij tam ſancto coniugio nati, *Landricus* & *Dentelinus*. Ambo cœlo geniti, in quibus ſupra res omnes humanas animus. Et quidem *Landricus* natu maior & ad ſpem illuſtriſſimæ Familiæ educatus ita virtutum omnium iter tenuit, vt ad Meldenſe Pontificium ſit vocatus. Fulſit hic aliquamdiu, ſed vt patris veſtigijs propius inſiſteret, poſt eius obitum ad Sonegienſe Monaſterium migrauit, illudque rexit. Demum depoſito ibidem corpore ad Diuos Diuus ipſe tranſiuit. *Dentelinum* vix annis ſeptem hic orbis aſpexit. Pæne infans enim ex vita migrauit, ſed in quo iam virtus ante ætatem ſanctitatis radios emittebat. Adeò etiam ætas infantium ſanctitatis eſt capax, & puerorum animæ diuinæ Maieſtatis oculos ad ſe inclinant. Corpus eius parentis cadaueri Sonegijs iunctum loculo argenteo lapillis pretioſis contexto concluditur. Colunt eum Reſenſes in Cliuia Patronum.

SS. Landricus & Dentelinus.

Molan. 17. Apr.

Idem 14 Iulij.

Et officium Recenſe.

Sed & filiæ ſanctiſſimum matris inſtitutum ſecutæ religioſam vitam mundi ho-

SS. Aldetrudis & Madelberta

Molan. 25. Februarij. Et 7. Septembris. noribus ac diuitijs anteposuerunt, *Aldetrudis* & *Madelberta*, senior illa, hæc iunior. Vtraque moribus & virtutibus verè diuina; quid ni & Diuæ? Tales vita ſanctiſſima fecit, mors Diuis aggregauit, poſtquam Malbodienſis Virginum Monaſterij regimen ordine tenuerant. Illas in eodem Ec- *Hiſt. S. Aldegundis. Officiũ Malbodienſe.* cleſiæ iſtius gradu ambarum matertera Aldegundis præſtantiſſima Heroina præceſſerat, nunc etiam inter Diuas numerata.

Miretur poſteritas, ex vna domo parentem vtrumque, filios omnes & filias cœlo & Diuorum Ordinibus adſcriptos. Rara hæc felicitas, neſcio an vnquam viſa. Vt vt ſit ab Hibernis orta eſt, & Gentis fato debita.

CAPVT XIII.

De Sancta Oda & Cunera.

NEque viri ex Hibernia duntaxat Belgio ſalutem attulerunt, ſed etiam fœminæ. Illi Chriſtianam legem publicè docendo, hæ ſuis meritis & inſigni ſanctitate omnibus prælucendo. Adeò etiam recenſendæ à nobis ſunt, & ſuo elogio decorandæ. Et quoniam de ſanctiſſima Dympna iam initio diximus magno prorſus Brabantiæ ornamento præſidioque, alias adiungamus, quarum vitam ſanctitas illu-

ſtrauit,

ſtrauit , merita felicitatis æternæ gloriam obtinuerunt.

Occurrit in primis Diua *Oda,* maioris Scotiæ ſeu Hiberniæ Regis filia , natalibus *S. Oda* inclyta,naturæ dotibus præſtantiſſima, ore *27. Nouemb.* & totius corporis compoſitione venuſtiſſima , ſed quæ oculorum integritate retentâ lucem intueri non poterat. Inde mœror *Ex hiſt. vitæ eius* ingens & luctus parentum Regięque totius familiæ. Quippe ambire eius nuptias idcircò Principum nemo volebat. Verum cum in Hiberniam vſque fama miraculorum Divi Lamberti penetraſſet, in eam ſpem Regis animus erigitur , fore vt ſi ad tam glorioſi Martyris ſepulchrum Oda pertingere poſſet, eiuſdem beneficio cæcitate deſtitueretur. Igitur eam rebus omnibus neceſſarijs & comitibus pro Familiæ dignitate inſtructam Leodium ablegat. Quo cum illa perueniſſet , & iam comitum oculis ciuitas obuerſaretur , regia Virgo in terram ſeſe proſternit , & quam non videbat Sanctiſſimi Lamberti ſedem , demiſſo animo multiſque cum lachrymis veneratur. Res mira,vix è terra ſurrexerat, obſtupeſcentibus comitibus, vrbem & templum videt , nec iam alienæ manus ductu , ſed ſola progrediens in ciuitatem & templum ſe infert, gratias agit , Lambertum extollit, eius aras regijs planè muneribus cumu-

lat. Effundebantur in hoc ſpectaculum ciues, tantæque Virgini tantum beneficium ab illo Patrono ſuo impetratum gratulabantur. Nec minora in Hibernia lætitiæ ſigna, poſtquam ipſa redux Regem intueri & cunctos poterat. Hoc autem miraculo aucta mirum in modum Diui Lamberti apud Hibernos fama multos Leodium ad ſepulchrum eius pertraxit. Verum Rex parens, qui gaudium ſuum vix temperanter ſatis ferebat, totus in id incumbebat, vt filiæ dignas nuptias compararet. Sollicitabant è prima nobilitate & regijs Familijs non pauci. Quod vbi intellexit Oda, quæ cœleſti Numini virginitatem ſuam voto obſtrinxerat, cum aliter parentis obſiſtere voluntati non poſſet, & à nuptijs abhorreret, patriam exteris nationibus mutare inſcio patre conſtituit. Duas ſexus ſui comites, aliumque fidum ſibi clientem, cuius conſilio potiſſimum vtebatur, deligit, pereginoque induta amictu in Belgium traiecto mari contendit. Verſum inde in triſtitiam parentis gaudium, qui filiam miſſis in omnes regni oras exploratoribus fruſtra quæſiuit. Illa peragratis magnâ pietate locis quam plurimis in Taxandria, Brabantiæ parte, tandem ſubſtitit. Hic illi tuguriolum ex ceſpitibus erectum ruſticano opere, in quo

Molan. 27. Nouembris.

vitæ

vitæ reliquum diuino obſequio impendit. Vnum illi cum Deo commercium; orare, contemplari, vigilare, virtutem ſemper aliquam exercere, perpetuum exercitium erat. Et quanquam corpore in terris, animo aſſiduè in cœlis & cum Chriſto ſponſo ſuo verſabatur. Rerum omninò ſanctitatis exemplum. Quæ alia regiam Aulam cum antro commutabit? quæ connubia cum Principibus reſpuet? quæ paupertatem pro opulentia, miſerias pro delitijs, viliſſimam vitæ conditionem pro ſplendore magnificentiaque eliget? Fecit Oda, & pro Chriſto fecit, qui ſponſam demum ſibi relicto in terris corpore æternum coniunxit. Sepulchrũ iuxta tuguriolũ ſuum nacta fuit, quod primo fulgentiſſimum è cœlo lumen, tum miracula frequentiſſima illuſtrarunt. His permota Matrona quædam nobilis ſuum Rhodenſe territorium templo Virgini Odæ ſacro in perpetuũ aſſignauit. Corpus è terra extulit Obertus Leodienſium Antiſtes anno ſupra milleſimum centeſimo tertio; ſed, quod miretur poſteritas, in tumulo lapideo ſolidoque inuentum, cum arundineo baculo & libello, qui eius familiæ ſtatum continebat. Depoſita hæc omnia in ſecretiore altaris loco; nec alia tum hominum opinio, quam Angelos Virgini tumulum diuino iuſſu exſtruxiſſe. Pa- *In Diœceſi Sylnæducen*

 tronam

tronam agnoſcunt Rhodenſes, & quinto Calendas Decembris ſolemni Feſto venerantur, quam dum ex Hibernia diuinitus ſibi donatam credunt, erga Hibernos perpetuam gratitudinem vouent.

Non minus ornamentum Belgio attulit Diua *Cunera* Sanctæ Vrſulæ conſanguinea, vndecim millium Virginum & Martyrum ſocia, cui pater Aurelius, mater Florentia fuit. Cùm autem Vrſula ſociæque Româ reuerſæ apud Vbios Coloniæ impiorum gladijs ſubijcerentur, ipsâ formæ elegantiâ commiſerationem mouens à Regulo Rhenenſi ſeruata & in eius domum abducta eſt. Cui cum propter virtutem gratiſſima eſſet, vxoris Reguli inuidiam ſenſit. Nam hæc marito abſente, vt ſuo odio ſatisfaceret, virginem manuali linteo per famulas iuſſit ſtrangulari inque equorum ſtabulo ſepeliri. Hoc facinus perſenſerunt equi poſtea, & ſubire ſtabulum recuſarunt, nec cogi vi vlla potuerunt. Inde oborta ſceleris ſuſpicio, quam cum mota recens terra augeret, fodi cœptum eſt, & Virginis cadauer inuentum. Iuuit inſuper lumen diuinitus in ſtabulum demiſſum, ſacri pignoris index. Indoluit vehementer Regulus, & animaduerſione in coniugem nefandi facinoris ream decretâ, domum ſuam in templum erigi, eiuſque honori dicari

S. Cunera. 12. Iunij.

Molan. 12. Iunij

Ex M. S. Codice Cænobij Bethlemitici.

Item ex hiſt. eius Louanij & Coloniæ edita.

cari curauit. Annis aliquot poſt Diuus Willibrordus auditis de eius integritate ſanctimoniaque teſtibus, illam magnâ pompâ in templum tranſtulit; nec minora, quã præceſſerant, ſecuta miracula ſanctitatem eius aſſeruerunt. Colunt glorioſam Virginem Martyremque Rhenenſes, & linteum, quo illi fauces præcluſæ, religiosè conſeruant. Feſtus illi dies pridie Idus Iunij.

CAPVT XIV.

Concluſio huius Operis.

QVod mihi propoſitum erat, niſi fallor, hactenus ſum exequutus. Id fuit, vt agnoſcant Belgæ noſtri Hibernorum in ſe merita, quorum operâ aut Religionem acceperunt, aut quaſdam adhuc remanentes ex antiquâ ſuperſtitione tenebras depulerunt, aut in fide accepta confirmati ſunt. Viros produxi & Diuos, non eorum vitas, niſi forte ſummatim. Neque enim propoſitum nobis hoc fuit. Plures ſcio ab illâ Sanctorum inſula prodijſſe, ſed benè mereri de orbe toto, non de Belgio tantum, voluerunt. Alibi proinde etiam religionis Chriſtianæ legem promulgarunt. Loquentur eorum merita nationes aliæ, nec obliterari temporum obliuione, permittent, quos ipſæ colunt Salutis ſuæ patres, vitæ

patronos. Fateri autem cogor, & impellit me veritas, gentem nullam aliam tantopere in aliorum Salutem incubuiſſe. Sui, pæne dixerim, oblita eſt, ut regionibus alijs ſalutem adferret. Adeò nec ullum diſcrimen adire recuſauit, nec ſua deſerere penſi habuit. Viluit multis purpura, quibuſdam in pretio poſita mors, ne ignotus extra Hiberniam Chriſtus eſſet. Ardori ſuo ponere modum non potuit, quia nemini Salutem invidit, omnibus optauit. Vtinam, (& hoc votum ſupremum ſit) cum alij omnes, tum nos Belgæ, tantum acceptæ religionis beneficium agnoſcamus. Sub iugo Hæreticæ tyrannidis ingemiſcit hodie gens Hiberna, & tamen conſtantiſſimis animis religionem retinet; nec ulla vis extorquet. Nec frangitur egeſtate, nec morte exhauritur, fortior ipſa tyrannide. Imo, quod olim fecit, in alienas ſe nationes diffundit, ut alijs proſit; in patria inter tot pericula ſubſiſtit, vt ſibi non deſit. Illuceſcet aliquando dubio procul ille dies, quo in Chriſtianæ religionis libertatem Deo propitio, tot Diuorum ſuorum meritis, aſſeretur, ſed iuuemus interea, qui obligati ſumus; manum porrigamus, qui beneficium accepimus. Id voueo, voueant omnes, faueant, quos ſcripſi, Diui.

FINIS

INDEX
CAPITVM.

CAPVT I.

Occaſio ſcriptionis huius & ſcopus. fol. 1.

CAPVT II.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Ditione Mechlinienſi & Brabantia, per Sanctos Rumoldum, Fredegandum, Himelinum. *Item de* S. Dympna, & Gereberno. fol. 4.

CAPAT III.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Flandria per Sanctos Leuinum, Guthagonum, Columbanum. fol. 17.

CAPVT IV.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Arteſia per Sanctos Luiglium, Luglianum, Kilianum, Vulganium, Furſæum & Obodium. fol. 22.

CAPVT V.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Hannonia *per ſanctos* Ettonem, Adalgiſum, Abelen, Vuaſnulphum, Mombolum. fol. 31.

C A-

Digitized by Google

CAPVT VI.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Namurcenſi Comitatu per Sanctos Forannanum *&* Eloquium. fol. 37.

CAPVT VII.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Ditione Leodienſi, & iterum Namurcenſi, *& Brabantiæ parte, per Sanctos* Vltanum, Foillanum, *&* Bertuinum. fol. 43.

CAPVT VIII.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Geldria, per Sanctos Wironem, Plechelmum *&* Othgerum. fol. 49.

CAPVT IX.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Hollandia per Sanctum Ieronem. fol. 55.

CAPVT X.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Friſia, & iterum in Hollandia, Vltraiectenſi Ditione, viciniſque, per Sanctos Willibrordum *& ſocios,* Switbertum, Accam, Wigbertum, Werenfridum, Marcellinum, Adelbertum, Willeicum, &c. fol. 59.

CA-

CAPVT XI.

De propagatione fidei Chriſtianæ in Prouincia Luxemburgenſi per Sanctos Willibrordum, Mononem, Wendelinum. fol. 73.

CAPVT XII.

De Sanctis Vincentio & VValdetrude coniugibus, eorumque filijs & filiabus Landrico, Dentelmo, Aldetrude, Madelberta. fol. 80.

CAPVT XIII.

De Sancta Oda & Cunera. fol. 84.

CAPVT XIV.

Concluſio huius operis. fol. 89

FINIS.

APPRO-

APPROBATIO.

QVoniam benefactorum obliuiſci, ſumma ingratitudo eſt, ideo ne apud Belgas noſtros in obliuionem veniant Sanctiſſimi illi ex Hibernia viri, qui fidem Chriſtianam per Prouincias Belgij propagauerunt, hic Liber Eruditiſſimi D. NICOLAI VERNVLÆI in lucem eat. Dat. Louanij, Anno 1639. Die 26. Iunij.

IACOBVS PONTANVS S. *Theol. Doctor Apoſtolicus ac Regius Librorum Cenſor.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google